PETRI RAMI VEROMANDVI Brutinæ Quæstiones,

AD

HENRICVM VALESIVM,

FRANCIAE REGEM.

SECVNDA EDITIO.

CVM PRIVILEGIO.

PARISIIS,

Ex typographia Matthæi Dauîdis, via amygdalina, è regione gymnasii Rhemēsis, ad Veritatis insigne.

1549.



W woluminie kolejno współoprawne sygnatury:

SD 2859 I

SD 2859 Ib

SD 2859 Ic

SD 2859 Id



Dar Kuratorjum Okr. Szk. Poznańskiego.
Z księgozbioru Gimn. im. Marji Magdaleny w Poznaniu.
1930.

PETRI RAMI VEROMANDVI Brutinæ Quæstiones,

AD

HENRICVM VALESIVM,

FRANCIAE REGEM.

SECVNDA EDITIO.

CVM PRIVILEGIO.

PARISIIS,

Ex typographia Matthæi Dauîdis, via amygdalina, è regione gymnasii Rhemẽsis, ad Veritatis insigne.

1549.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA
POZNAŃ
SD 2859 I 4
1191958
N. 4659293

PETRI RAMI
VEROMANDVI
Brutinæ Quæstiones,
AD
HENRICVM VALESIVM
FRANCIAE REGEM.

SPERO, Henrice Valesi, Franciæ Rex Christianissime, amplitudinem tuã me nihil offensurũ, si Rhetoricas scholas nõ solùm ad te mittere, sed etiam in tuo nomine diuulgare audeam. Nanque & huius artis & omnium omnino doctrinarum laudandarum cognitionem nõ modò ingenuis animis dignissimam, sed etiam regum propriam esse statuo. Etenim quid est tam regum proprium, quam quod à summis regibus ad omnium dignitatẽ regnorũ est inuestigatum, & æternis literarum monumentis posteritati relictum? Quæramus igitur à quibus tandem hominibus tam varias, támque multiplices artes, vel ad orationis cultum, vel ad rationis solertiam atque iudicium, vel ad cæterarum rerum fructum & vsum inuentas & descriptas accepimus: reperiemus profectò horum bonorum inuentores & authores, potentissimos principes & imperatores extitisse. Ponamus ante oculos (vt à primis literis incipiam) M. Varronem, Iulium Cæsarem: quorum alter de analogia, alter de lingua Latina tam multa ad Ciceronem per-

ſcripſit. At quantis opibus, quanta dignitate in ampliſsima orbis terrarũ Republica viri? Quid Pericles, quid Demoſthenes Athenis? quid Romæ Cato, Antonius, Cicero, Brutus, quæ imperia, quanta Reipublicæ gubernacula tenuerunt? At orandi & leges & exempla ab illis omnia ferè tenemus. In Dialecticis deos præceptores Plato ſtatuit. Quid verò in Phyſicis Platonẽ, aut Ariſtotelem potius commemorem, quàm Alexandrum Macedonem? Is enim nobiliſsima ſcientiæ cupiditate inflammatus, tot hominum millia (quot tanto Aſiæ, Africæ, Europæ imperio venatus, aucupia, piſcatus alebant, quibúſque viuaria, armenta, aluearia, piſcinæ, auiaria curæ erant) conduxit, omnéſque omnium ea de re hominũ conſcriptos libros conquirendos curauit: vt & peritos rerum naturalium percunctando, & libros varios perlegendo præclara de tot rebus occultis volumina hominum generi compararet. Interroga medicos de ſuæ artis origine: Aeſculapios tibi & Apollines reſpondebunt. Quid Mathematicæ artes & diſciplinæ? nónne ſibi (vt variæ teſtes ſunt hiſtoriæ) tum primos ab initio mũdi patriarchas, Adamũ, Sethum, Noeum, Abrahamum: tum Africæ atque Europæ clariſsimos reges, parentes vendicant & aſſerũt? Inſtituta verò de vita hominum & moribus tametſi optimi quique rerumpublicarum principes gloriæ ſuæ propria ſemper eſſe duxerunt, tamen regnis & imperijs humanis excellentiora & præſtãtiora eſſe confeſsi ſunt, cùm certis numinibus leges ſuas attribuerunt, Licurgus Apollini, Solon Palladi, Minos Ioui, Charũ-

das Saturno, aliíque dijs ac deabus alijs. Cùm igitur doctrinas non solùm ingenuas, sed regias dico, nihil amplificandi causa dico, sed earum nobilitatem verè ac simpliciter exprimo. Age verò, cùm magnifica ista artium regna mente atque animo complexus eris, ad amplitudinem generis tui oculos conuerte: patrem regem cõspicies in isto genere laudis regum omniũ longè primum & maximum. E cæteris enim regibus nõnulli poetas amauerunt, alij philosophos coluerunt, alij aliarum peritos artium in honore habuerunt. At Frãciscum Valesium omnium literarum patrem verius, quàm mecœnatem possumus appellare: à quo Latinæ, Græcæ, Hebraicæ linguæ interpretes, Philosophiæ, Medicinæ, Mathematicæ scientiæ doctores honestißimis stipendijs affecti & ornati sunt. Quo regnante, imò verò cohortante, tot populorum rectores, tot senatores, tot omnium generum homines incredibili literarum amore sunt incensi. Tum verò quum à tali patre discesseris, quem potius, quàm te vnum, te, inquam, vnũ in tanto splendore conspicies, qui paternis paßibus ad eandem gloriæ æternitatem graderis, qui similibus honoribus doctos homines & eruditos afficis, quibus antè pater affecerat? imò verò qui sustentes eos, de quibus eruditionis ac doctrinæ spes aliqua fore videatur. Cur enim ingratè reticeam vnũ me (quem nostrates Aristotelei & lingua & manibus ita constrinxerant, vt de philosophia nec dicere, nec scribere quicquam, ac vix quidẽ cogitare possem) vnum me, inquã, ad postulationem Cardinalis Guisiani mecœnatis mei

propter multas egregias virtutes merito tibi charissimi, per te pristinæ libertati restitutum? iussúmque rescisis Aristotelicum iudicijs liberè de his artibus (in quibus me exercuissem) & cõmentari & scribere, & philosophari? Quo tuo beneficio sic adhuc vsus sum, & superis bene fauentibus imposterum sic vsurus sum, vt vel Aristotelei Petrum Ramum (quẽ tam vehementer & acerbè afflixerant) per te sustentatũ & liberatum esse gaudeant. Quamobrem Rhetoricas scholas, quoniam hæ quoque artes, sicuti reliquæ, regiæ sunt, ad te & regis literarum omnium amantissimi filium & regem ipsum pari sapientiæ amore incensum scribere, & in tuo nomine emittere non dubitaui: & eas quidem scholas, quæ magnorum in republica principum Ciceronis & Bruti de summa regendæ reipub. doctrina cõtentionem explicarent. Etenim cùm in tanta republica, quanta tum Romana res fuit, eloquentia sapientiæ coniuncta vnicum ad honores summos & singulare instrumentum esset, nõ tantum sapientia, eloquentiáque præstãtes & summi viri Romæ extiterant, sed summa quoque inter ipsos dissensio fuit de optimo virtutis huius genere. Cicero oratoris, id est sapientis illius & eloquentis viri (sic enim appellabat) summam & absolutam laudẽ triplicem arbitrabatur esse, Docere, delectare, mouere: réſque magnas grauiter, & paruas summissè, & mediocres moderatè dicere: ad eámque rem Philosophiam totam, leges, historias, Rhetoricam necessarias iudicabat. Hæc enim Oratoris ad Brutum sententia est. Brutus autem, Cal-

lidius, Caluus, Cornificius, ac cæteri qui se tum oratores Atticos velut absolutos appellabant, de artiũ cognitione nihil dissidebant: duas etiam primas (quæ docendi & delectandi sunt) laudes valde probabãt: moueri tamen iudicem vehementius & turbari ab oratore nolebant, eósque quorum altior esset oratio, furere & bacchari arbitrabantur. Hoc itaque tertium in Cicerone reprehendebant, sicut alia quædam, quòd in egressionibus & repetitionibus esset nimius, quòd insolentius aliquando se iactaret. Itaque & hi Ciceronem vt redundantem, & doctis atque attentè audientibus molestum: & illos Cicero vt ieiunos & aridos, & multitudini, cui nata sit eloquentia, contemptos sæpe cauillatus est. At Cicero quanuis de grauitate & vehemẽtia dicendi verius fortasse secutus est, hæsit tamen sine dubio ad illas egressionum, repetitionum, ostentationum salebras, nec inde explicare se atque expedire potuit. Atque hæc Ciceronis & Bruti de causis orandis dissensio fuit: de orandarum verò caussarum arte potuit etiam Bruti cum Cicerone maior esse contentio: quòd Cicero vno Rhetoricæ artis nomine multas artes variè confunderet, quæ præceptis distinctæ & facilius discerentur, & commodius exercerentur. Quod vtrunque tamen vitium & redundantiæ & Rhetoricæ artis confusius institutæ nõ tam Ciceroni, quam magistris (quos vel audierat, vel legerat) attribuendum esse arbitror. Audiuit adolescẽs Menippum Stratonicensem, Dionys[illegible] Magnetem, AEschylum Gnydium, Adramit[illegible]num Xenoclem,

tota Asia illis temporibus oratorum facile principes, à quibus Asiatica redundantia sic imbutus est, vt postea se (tametsi redundantem, & quasi, vt ait ipse de se, extra ripas diffluentem sentiret) nulla tamen ratione reprimere ac coercere potuerit,

Adeò à teneris consuescere multum est: & Aristotelem (qui maximè omnium Rhetoricas & Dialecticas artes turbauit) præcipuè in Rhetoricis præceptis sequutus est, & quidem sic vt summus in republica princeps tantis & publicis & domesticis negotiis occupatus ex Rhetoricis præceptis, sicut ex iuris ciuilis legibus tum quoque, sed hodie multò magis confusis, passim carperet potius, & vndique colligeret forensem & ciuilem vsum, quàm cõsideraret, quàm artificioſe, quámque subtiliter ista docerentur. Quamobrem in Oratore Ciceronis non solùm de Asiatica redundantia, sed etiam (quoniã datur iis exercitationibus ea venia) de propriis Rhetoricæ disciplinæ præceptis, déque totius tractationis ratione, constantia, veritate, quærẽtem Brutum feci, & quidem ita quærentem, vt proprias Ciceronis laudes & virtutes ornaret, vitia non solùm à virtutibus separaret & distingueret, sed in authores transferendo vel excusaret, vel extenuaret. Sed longius progredior, dum Brutinæ disputationis argumentum planum facere cupio, quod è re ipsa forsan melius intelligetur. Itaque Brutum ipsum cum Cicerone loquentem iam nunc audiamus.

PETRI RAMI VEROMANDVI Brutinæ Quæstiones,

A D

HENRICVM VALESIVM

FRANCIAE REGEM.

ANimaduerti M. Tulli, te vehementer esse cõmotum, quòd oratorem, quem tantopere probares, improbare potuerim: queri enim & expostulare tanquam de graui & acerba iniuria soles, quòd audeam non solùm ad Atticum, sed ad teipsum etiam scribere, quod in eo tibi placeret, id mihi displicere. At si cõsilij mei rationem causſámque penitus intellexeris, spero te non modò nihil repugnaturum, sed magnas etiam nobis gratias habiturum. Quanuis enim scriptis etiam ad alios epistolis testatus sis te quicquid habueris iudicij de dicendo, in illum librum contulisse: neque recusa

re, quin quantum de illo libro, tantundem de tui iudicij fama detrahatur: tamen confido me certißimis tibi rationibus probaturum, neque iudicij tui quicquã admodum hîc adhibitũ esse: neque si de isto libro plurimum detrahatur, necesse tamen esse de iudicij & eloquentiæ tuæ fama multum detrahi. Etenim siquid est iudicij tui in hoc oratore proprium, quod expenderis, æstimaris, iudicaris, nihil tam politum fingi, cogitari ve potest, quàm quod est à Cicerone iudicatum. Summas rerũ principes initio statuam, de quibus accuratè iudicasse mihi videaris. De cæteris suo loco nihil tibi detraham. Ac primùm summum disputationis vniuersæ caput excutiamus: videamus quemadmodum expenderis & æstimaris: de præstantis huius & excellentis viri (qui ciuium suorum causas & cõtrouersias orando disceptet) definitione quæramus. Is erit (ais) qui ita dicet vt probet, vt delectet, vt flectat, quique & humilia subtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperatè dicat. Quid hoc absolutius æstimari aut iudicari potest? Hîc igitur tibi non modò nihil repugno, sed iudicium tuũ valde laudo & probo: tametsi de tertio illo flectendi & mouendi genere Attici nostri leuiter & eruditè quidem dissentiũt: attamen quia plerunque hebes & tardus auditor est, nec (tanquam malus equus) nisi agitatus facit, necessariam orationis grauitatem & maiestatem esse cõcedo: atque hanc triplicem docendi, delectãdi, mouendi varietatem cùm splendidè sanè ac magnificè in hoc libro demonstrasti, tum in causis ipsis sic ostendisti, vt fa-

teri, vel potius profiteri meritò possim in hoc genere laudis, omnium non solùm mortuorum famam, sed viuentiũ quoque gloriam sapientia & eloquẽtia tua victam esse atque superatã. Fuerint enim, sintq; etiam nunc in singulis vel docendi, vel delectandi, vel mouendi generibus excellentiores quidam: in omnibus autem peræquè præstantẽ vel fuisse, vel esse arbitror omnino neminem. Hoc tantæ virtutis elogium sanctum per me & inuiolatum obtineto. Addis postremò moderatorem & actorem caussarum ita definitum, magnis & excellẽtibus artibus ornatum esse oportere, Dialecticis, Ethicis, Physicis legibus, Historiis, Rhetoricis: quod à te & singulari iudicio dictum est, & in foro, in curia, in rostris, in omni denique caussarũ genere re ipsa ac veritate tam mirabiliter expressum, vt interdum M. Cicero iudicibus, patribus, Quiritibus non homo ex homine genitus, sed [illegible] quidam è cælo delapsus in terras esse videatur. Hæc verissimè & excellẽtissimè à Cicerone & iudicata & facta sunt. At inter istas sapientiæ & eloquentiæ tuæ tam speciosas laudes nonnihil est sanè licet perexiguum, licet tanto splendore occultum & obscuratum, nonnihil tamen est, quod non solùm mihi & Callidio & Caluo & Cornificio, & Atticis omnino nostris, sed tibi quidẽ ipsi verè iudicanti non satis speciosum videatur: tum quòd in orandis caussis egredi leuiter, idem repetere frequenter, insolenter etiam de tuis rebus gloriari soleas: tum quòd in agendarum caussarum arte falsum Rhetorum potius arbitrium, quàm verum iudicium

Artiũ cognitio vtrius vtilis

Nimiæ digressiones, repetitiones, & gloriationes in laudes

tuum adhibeas. Hæc paucula quamuis maximis & plurimis virtutibus tuis longè quidem minora atque inferiora: tamen in hoc oratore notanda & separãda suscepi, vt simplices, & minus attenti distincta & diuisa haberent, & bona, quæ sequerentur, & mala, quæ declinarent. Quamobrem vtrãque disputationem (quia tua descriptio postulat) coniungemus, atque ita disseremus, vt firma ratione singulis de rebus contendamus, testimonia dubia & incerta nulla proferamus. Age itaque missas opiniones hominũ faciamus: rem, naturam, veritatem spectemus: adhibeamus eam in disputando artem, quæ regulam veri falsiq; iudicã di præbeat, eiúsque legibus pareamus. Regem quẽdam fori, actorémque caussarum excellentẽ cogitas, & omnibus laudandis artibus informas, vt sit & dialecticus, & ethicus, & physicus, & iureconsultus, & historicus & orator: denique illo doctrinæ velut orbe, quem Græci ἐγκυκλοπαιδίαν appellant) rotũdus atque perfectus: hoc totum, vt dixi, laudo: attamen quam tot artium doctrinam explicas? Tria nobis imperas, vt doceatur, delectetur, moueatur auditor: ad ea multas egregias facultates, multa instrumenta comparas: at quomodo facultates istas, quomodo hæc instrumenta declaras? hominis naturam describere propositum sit, definieris igitur vt oratorem, ex officiis: tum dicas singulares ad hæc officia & animi & corporis à natura dotes esse: nónne vt instituto satisfacias, & hominis naturam declares accuratè, animi, corporisq; & facultates, & partes ad extremum declarandæ

Si orator ómnibus debet esse pluribus Ergo ars illa explicãda est: et nõ sola ars oratoria

erunt? Sic, opinor: nam si brachiũ aut de membris aliquot duntaxat attigeris, cætera contempseris: non expo sueris caussas proprias & necessarias, quibus hominis natura contineatur. Domus definiatur, caussæ quibus efficiatur & cõponatur, enumerẽtur: fundamentũ, cella, paries, tricliniũ, cubiculũ, tectũ, & reliquæ, quibus domus integra solet institui: tũ verò si parietem vnũ vtcunque ædifices, designata cætera relinquas, videberis, non domum composuisse videberis. Constet igitur istud, & concludatur,

Omnes caussæ quib rtis rhetoricæ finem consequimur, in ar e ipsa sunt explicandæ.

Philosophia & Dialectica & Ethica & Physica, item leges & Historia, postremò Rhetorica sunt caussæ quibus oratoriæ artis finem consequimur, nempe vt docendo, delectando, moũedo bene dicatur: Et tu omnes istas causas post oratorem definitum, & isto ordine recenses.

Quare si definiti à te oratoris artem velis explicare, necesse est vt omnes artes illas explices.

At architecto illi similis es: magnificam eloquentiæ domum describis: partes Philosophiam, Leges, Historias, Rhetoricam designas: cùm ædificium inchoandũ est, parietem rhetoricũ scilicet erigis, & pro tam multis artibus minimam omnium instituis. Hîc igitur tibi M. Cicero, vehementer & acriter resisto, atque hoc iudicium tuum esse pernego: scholasticas opiniones magistrorum tuorum esse confirmo. Nunquã enim mihi persuaseris æstimatum & iudicatum à te esse,

quomodo ista dicerentur: totum corpus artium omnium complecteris initio, membrum tandem vnum cæteris omissis retines. Ciceronis igitur iudicium esse tam inconstans & imbecillum nunquam putabo. Qui error magnus & absurdus est: Multæ sunt, ais, ad orandas & disceptandas ciuiũ causas artes necessariæ, Philosophia, Leges, Historia, Rhetorica: Rhetoricam postremã cæteris omissis sõlam interpretaris: hoc est cælum, aërem, aquam, terram polliceri, sõlam terram præstare. Veruntamen age, dixeris, quod probare nemini intelligẽti possis, plus Rhetoricã artem, quàm Historias & Leges, & Philosophiã ad tractãdas & expediendas ciuiles controuersias valere, & idcirco de Rhetorica præcipiẽdum fuisse, de cæteris duntaxat admonendum, quia hæ tanquam famulæ & administræ sunt, illa autem domina. At mi Cicero, quàm nihil ista procedet ratio? quàm nihil errorem primũ adiuuabit? Est enim planè ridiculum Rhetoricã cum Philosophia, Legibus, Historijs ita cõparare. Sed finge quod falsissimum & ineptissimum est, esse tamen aptissimum & verissimum. Sit Rhetorica domina & princeps artium reliquarum, & idcirco de ea præcipiendum orãdarum causarum doctori & magistro.

Rhetorica nõ recte diffinitur a Cicerone

Quid si doceo Rhetoricam neque in hoc oratore, neque in cæteris oratorijs tuis libris à te legitimis partibus informari, sed alienis & falsis permisceri, nónne tua ista defensio corruet? At spondeo, recipio, promitto, cõfirmo (quod aduersus Ciceronem nisi clarissima veritate motus nũquam dicerem, criménque leuitatis &

inconstantiæ pertimescerem) recipio, inquam, & confirmo me probaturum, in omnibus tuis libris totam istã τεχνολογίαν infinitis tenebris turbari & cõfundi. De hoc vno libro tantum loquar, locos tamẽ (qui sunt in cæteris tuis libris) eosdem disputabo. Disputaui adhuc breuiter & summatim facultatem oratoris, si hoc nomine forensium & ciuilium caussarum actorem ac disceptatorem, id est multarum & variarum artiũ hominem intelligi vis, à te non demonstrari, non informari: deinceps etiam si malis oratorem vt grãmaticum, vt arithmeticum vnius certæ disciplinæ hominem dicere, ne quid in ambiguitate nominis huius occultum relinquatur, disputabo, oratoris virtutem à te non legitimè perpendi atque æstimari. Itaque de Rhetoricæ artis confusione tecum vel potius cum magistris tuis certamen deinceps instituo: de egressione, repetitione, iactatione vbi sese locus in libro tuo ostenderit (nequid hîc turbetur) tum dicam. Atque vt tota res via & ordine procedat, de Rhetoricæ artis propria & legitima ratione, primum quæramus. Omnes artes, omnes artifices ex rebus sibi propriè subiectis exponantur necesse est, non ex alienis, non ex communibus adumbrentur: Rhetoricam vnam quandam & singularem artem de liberalibus esse volumus. Hæc ars igitur & huius artis artifex ex materia sibi propriè subiecta definiatur. Distinguamus Rhetoricæ artis materiam, & à cæterarum artium materia diuidamus, vt constet quod eius proprium sit, vt omnis omnino confusio tollatur: quod Grãmaticis præceptis doceatur, id

rursus in Rhetoricis non misceatur: quod in rhetoricis instituatur, à Dialecticis non attingatur: breuiter artium omnium fines & institutiones separentur: vsus tamen coniungatur: sicuti in hominum fundis & agris fieri videmus: vt meus ager in tuum non incurrat, nec tuus incidat in meum: rerum tamen nostrarũ vendendo, emendo, permutando vsus communicetur. Quin illam Solonis legem (quam dicitur Atheniensibus tulisse) nobis proponamus. Ἐάν τις αἰμασίαν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύξῃ, τὴν ὅρον μὴ ὑπερβαίνειν. ἐὰν τειχίον, πόδα ἀπολείπειν. ἐὰν οἴκημα, πόδας. ἐὰν δὲ τάφρον ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ἦ, τοσοῦτον ἀπολείπειν. ἐὰν δ' φρέαρ, ὀργυάν. ἐλαίαν δὲ ἢ συκῆν, ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν. τὰ δὲ ἄλλα δένδρα, πέντε πόδας. Sic igitur de sapientibus sapientissimus ille Solon, Si quis ad alienum (dicam enim rursum, & quidem si potero Latinè) fundum sepem constituerit, extra terminum ne excedito. Si murum, pedem relinquito. Si domũ, duos pedes. Si sepulchrũ aut scrobem effoderit, quãta sit altitudo, tantũ relinquito. Si puteũ, passum: si oleam aut ficũ, nouem pedes ab alieno plantato: cæteras arbores, quinque pedes. Hanc igitur distinctionẽ finium quæso te, bona fide meditemur, & vnicuique quod suum est, attribuamus. Duo verò sunt vniuersa deorum munera hominibus tributa, vnde alia fere omnia profecta sunt, ratio & oratio: rationis doctrina, Dialectica est: ideóque quicquid rationis ac mentis proprium fuerit, quod sine oratione tractari & ex-

Rationis doctrina dialectica est.

erceri posit, id propriè dialecticæ arti attribuito. Tres autem partes sunt, Inuentio consiliorum & argumentorum: eorumq; Dispositio in syllogismo & methodo, item Memoria: quoniã ista omnia in hominibus mutis, & omni orationis facultate carentibus insunt. Nam & res cogitant, & iudicant, & collocant, & meminerunt, & omnes omnino homines hæc aliquãdo tacendo melius, quàm dicendo faciũt. Tres itaque partes illæ, Inuẽtio inquam, Dispositio, Memoria, dialecticæ artis sunto. Orationis laudes ad istam regulã metiamur, & grammaticæ primùm suas partes assignemus. Puritas autẽ sermonis est, & elegantia: quæ porrò in singulis verbis ex etymologia, in coniunctis ex syntaxi, in quantitate syllabarum & accentu, ex prosodia, in formatione & pictura tum literarũ tum syllabarum & dictionum, ex orthographia perspicietur. Hîc grammaticæ fundus totus & proprius esto: Dialectica hîc, neque Rhetorica quicquam suum ducito. Quid ergo? quid Rhetoricæ relinquetur? non elocutio solùm in tropis & figuris (quam tamẽ solam hîc putas oratoris esse propriam) sed actio. Hæc Rhetoricæ virtus & propria & sola est, vt posit troporum luminibus variare, insignibus figurarum exornare, modulatione vocis permulcere, dignitate gestus excitare: quæ quidem maxima virtus & amplissima est. Vides Marce Tulli quomodo disputem: non abutor Platonis, vel Aristotelis, vel Isocratis, vel hominis cuiusquam opinione vel authoritate: caussas rerũ summas & primas ab imis fontibus repeto, & quod

Apollo tibi quondam respondit, naturam potius ducẽ, quàm multorum opinionem sequor: artes præceptis & institutis secernẽdas esse doceo: usu tamen coniungi volo. Sic enim fiet, vt facilius ita distinctæ cognoscantur, & ad earum usum breuius perueniatur. Quamobrem cùm Rhetoricæ fines elocutionis & actionis partibus concludantur, orator nobis definiendus est bene dicendi peritus: bene autem & ornatè dici, & elocutionis & actionis virtute. Hoc verò fundamentum sententiæ meæ de principio tibi propono, vt inde reliqua disputatio deducatur. Tu verò Marce Tulli quomodo propriam oratoris facultatem, qua via propriam eius virtutem inquiris? Attende quæso, & considera quantum iudicio tuo deferã, quàm nihil detraham: eadem planè via ad inuestigandam oratoris speciem tibi progrediendum iudicasti, qua ipse paulò antè progrediendum iudicaui: separanda censes & secernenda omnia esse quæ communia sunt, id solum quod proprium sit oratoris, in eius definitione & doctrina retinendum: vide quàm consentiant, & propè conspirent cogitationes & sententiæ nostræ. Definiendum oratorem ex artis eius propria, & à cæteris artibus distincta materia iudico: tu communibus omnibus reiectis ex eo quod proprium relinquetur, definiendum oratorem iudicas: iudicium igitur nostrum vnum & idem est. At dum scholastica Aristotelis maximè, deinde aliorum quorumdam rhetorum decreta sequi vis, totus à teipso dissides, & infinitè à proposita via aberras: actionem enim reiicis, quæ propria ta

men est: Inuentionem, Dispositionem, Memoriã, quas
vt improprias reieceras, attamen sicuti philosophiam
totam & leges & historias retines, & omnes vndique collectas quisquilias admisces: vt si in media libri
tui parte vsque ad elocutionis præcepta in longissimã
orationem, quæ & oratoris inuestigationem præcedit,
& quæ de oratoribus & sophistis est, & quæ de partibus eloquentiæ vsque ad oratoris definitionẽ tractatur, & quæ deinceps ad inuentæ definitionis exornationem adfertur: tot enim partis primæ particulas, si
vis, faciamus: si inquam singula ista expendere mecũ,
& subductis rationibus æstimare volueris, intelliges
profectò te nulla de re frustrà aut temerè à nobis admoneri. Etenim M. Tulli, cum nos ingentis cuiusdã muneris expectatione ad oratorem cognoscendum excitasses, cogita quàm ad prolusionem tribus egressionibus
abutare. Quæstionẽ ponis, quid orator perfectus sit, derepentè nulla re definita: positæ quæstionis immemor, de via discedis, & ab ea longissimè aberras. An hoc est acutè & constanter, quod proposueris, explicare? an hoc est in docendo dialecticorum consiliis & legibus obtemperare? Egressioni locus conceditur aliquãdo lõgiore disputatione fatigatis, vt in isto, tãquam amæno diuersorio requiescant: at nihil adhuc interpretatus es. Atque hoc primum egressionum tuarum exemplum esto: egressiones istas videamus: neque enim solùm egressionis genus ipsum totum non probo, sed in partibus permulta magis concinna, quàm necessaria
video. Prima egressio nos ad bene sperandum incitat,

& quasi signo quodam sublato cohortatur exemplis poetarum, philosophorum, pictorum, statuariorũ, oratorum. Verùm quid ista cohortatione tam bella, tam magnifica, tam ad eloquentiæ iactationem composita nobis opus fuit? Exordio nos antea tibi cõciliasti: quia nostro amore adductus, istam disputationẽ susciperes: nos mirabiliter excitasti, quia rem tantam tractare te diceres, quantam non modò facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti: nos ad audiendum & cognoscendum sapienter instituisti & comparasti, quia quo de agitur proponendo declarasti: post exordium tam diligens & accuratum quid rursus egressione ista sollicitandi & cohortandi fuimus? Dic quæso tute ipse, & tanquã de te ipso iudex statue: nũquid aliter de Rhetorica arte, aliter de Milone dicendum existimas? In explicãdis disciplinæ rationibus & decretis auditorem habes sua sponte vel potius vtilitate ad audiendum comparatum: In causa Milonis ignarus fortasse iudex est ac negligens, aut alienus, vt omnibus modis excitandus sit: attamen in ipsa Milonis caussa quis tãtas oratoris delicias ferret, quantas in disputatione de arte & doctrina hîc tibi permisisti? Sed tamen in his delicijs perseueras, & me à prima egressione in secundam vocas: & Ideæ nomine Dialectica quædam definiendi præcepta valde obscurè & ineptè conturbas. Quid verò si in explicanda grammaticorũ doctrina dialecticas præceptiones istas conturbarem, annon ridiculè & imprudenter facere iudicarer? certé. Artes siquidem ordine docendæ sunt,

nec posterioris præcepta in priore miscenda sunt: atque Rhetorica vt Grammatica, prior est cognitionis ordine, quàm Dialectica. Quare temerè in Rhetorica disputatione, dialecticorum decreta misceri non decet, nec verò sine ratione testimonium vel Aristotelis (qui tãtam Rhetoricæ cõfusionem vel peperit, vel auxit certè) vel Zenonis nobis obiiciatur: quòd Rhetoricæ ex altera parte respondeat Dialectica. His commentitiis somniis postea respondebo: dicis te iudicij quicquid habueris, huc contulisse: iudicio itaque tuo, non alieno arbitrio mecum contẽde: nec per alienos oculos de coloribus statue. Non vtar in hac disputatione opinionibus, vel sententiis hominis cuiusquam. Quare missos facito testes illos, mutos præsertim, & nullam sentẽtiæ suæ rationem reddentes: non vtar inquam testimoniis, nisi fortè tuis: quia tu repudiare tuum ipsius de te testimonium iudiciúmque non potes. Teipsum igitur potius vel in hoc opere præcipientem audi, totas inuẽtionis artes Philosophiæ attribuentem: hîc enim primùm ais, Nec verò sine philosophorum disciplina genus & speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus: nec iudicare quæ vera, quæ falsa sunt: neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere: tum deinde scribis, Inuenire & iudicare esse magis propria prudentiæ, quàm eloquentiæ. Prudentiam autem illã Dialecticã in topicis postea editis significas te dicere: vbi Dialecticæ partes ais duas esse, Inuentionem & Iudicium. Omissis igitur fallacibus & captiosis Græcorum

hominum commentis, crede veritati, quam ex artium distinctione antè demõstraui: crede tibi verissimè sentienti Inuentionem Dialecticæ artis propriã esse, quia rationis sit: non esse autem Rhetoricæ, quia nihil sit orationis: crede verissimo cõtra secundæ egressionis tuæ culpam syllogismo:

Artes ordine docendæ, nec decreta posterioris in priore miscenda sunt.

Rhetorica est ordine docendi prior, Dialectica posterior: quia sine hac illa & doceri & percipi potest: hæc sine illa non potest.

Dialecticæ itaque præcepta in Rhetorica arte miscenda non sunt. Ad Solonis legem redeamus: artium fines regamus: extra terminos ne excedamus.

Sed quoniam secunda de ideis egressio videbatur obscura & aliena, tertia rursus egressione vagaris & erras, vt secundam excuses. Obscura te & noua dicere ais, sed plerisque imperitis, credo, cùm peruetera dicas. Rudes nẽpe & ignaros rerũ existimas, qui Platonis ideas ignorẽt à Platone ipso vel nõ intellectas, vel tã obscure declaratas, vt qui ipsum audierint, nihil certè de his tenuerint: sed alij alio distracti, partim omnino deriserint, partim dissimillima ratione sint interpretati. Nã & eas Aristoteles modis omnibus labefactauit: & ex his qui Platonem magis amauerunt, alij quædam rerum singularium, quæ à Deo procreantur, æterna exemplarum ideas appellãt: alij qui minus abstrusi, & ad hominum intelligentiam magis accõmo-

dati esse voluerunt, generales rerum & perfectas notiones hoc nomine definierunt. Itaque intelligis non solùm indoctis, sed eruditis quoque hãc idearum doctrinam perobscuram videri. Quare cùm in omni oratione graue peccatum sit rem propositam non constanter persequi, sed res alienas agere: quanto grauior erit culpa, sententias præsertim alienas vix, ac ne vix quidẽ suis authoribus cognitas admiscere? Sed tamen obscuritas quàm verè reprehendatur, iam intelligis: videamus quo iure quod alienum sit, possis vsurpare. Philosophia, inquis, est oratori necessaria. Quid tum? nõ est igitur, inquies, alienum in explicando oratore de philosophiæ legibus & institutis præcipere. Deum immortalem? qualis dialecticus es M. Tulli? Adeste potius dialectici, vímque huius & argumenti & argumentationis mecum ex artis vestræ decretis æstimate. Vtrumque enim vitiosum esse contendo, ac primum argumẽtum, Philosophia est, ais, oratori necessaria: imò verò, Eloquentia potius est philosopho necessaria. Redeamus ad illum superiorem proximum docẽdarum artium ordinem,

Non sunt antecedentibus artibus consequentes necessariæ,

quia sine his illæ percipi possunt: alioqui frustrà prius instituerentur. Rhetorica antecedit: Philosophia sequitur.

Non est igitur Rhetoricæ Philosophia necessaria.

Quare nihil te præclara ista ratio (cùm falsa sit) ad-

iuuat. At oratorem non illum vulgarem, sed perfectissimum & doctissimum hominem, & omniū artium participem, credo, describis. Intelligo inquam, & istā confusionem in te reprehendo: quòd vnius artis nomine alias penè omnes artes confundas: Politicum quendam virum omnibus partibus absolutū informare vis: & hunc oratorē vocas: in quo vehementer erras. Plato cùm isto modo perfectum reip. moderatorē describeret, non dubitauit eū omnibus disciplinis instruere, vt magnificum quendam & præclarum ducem faceret: attamen longè aliud esse existimauit, artem tradere, aliud artibus variis præstantem in republica virum ornare. At tu lōgè secus. Cùm enim velis excellentē istū ciuem fingere, qui caussas ciuium suorum oratione tueri, qui consilia reipu. vtilia interpretari, qui denique posśit in omni genere ciuilis orationis decore versari: hunc tu non populi magistrum, non reipu. gubernatorem, non regem, non dictatorem ampla & nobili appellatione, vt decebat, appellas: sed puerilis exercitationis & doctrinæ nomine oratorem vocas. Verùm aliud est ciuem perfectum, aliud oratorem perfectum definire. Oratoris verò perfectio quæcunque posśit esse oratoriæ artis virtute propria metienda est. Sic enim artium omnium finis ex earum insita & propria facultate æstimanda est. Grammaticus est perfectus, qui consequutus est, quicquid grammaticæ artis præceptis continetur: si Rhetoricæ, si Dialecticæ, si Philosophiæ vniuersæ cognitionem adiunxeris: homo quidem perfectior erit, grammaticus perfectior non erit. Gram-

maticæ enim finis & perfectio non pendet à rebus externis & extrinsecus positis. Persuadere non est finis & perfecta summáque laus oratoris. Quid ita? quia id in euentu fortuito situm est, quem ars sua vi præstare non potest: sed bene dicere: quod elocutionis & actionis virtute comprehenditur. Gubernator bonus tempestate abreptus nauem ad portum nõ perduxerit, dicet tamen notum illud, dũmodo rectum clauum teneam: nec ideo gubernatoris laude exciderit. Constet igitur artium omnium finem, id est perfectionem & absolutionem proprijs earum virtutibus contineri, ac iam totum syllogismum concludamus,

Omnis virtus oratoriæ artis est elocutio & actio. *Vt in principio posui, & postea rursus dicam,*

Omnis oratoris autem perfectio est ex artis oratoriæ virtute:

Omnis oratoris igitur perfectio est ex elocutione & actione.

Animaduertis quomodo disputem? quomodo te refellam? Caussas rerum primas ab origine reuoco: Dialecticam ἀποδειξιν, non captiosum elenchum adhibeo: neminem Aristotelis errore in errorem induco, firmo & constanti iudicio rem pondero. Itaque qui dicẽdo & tropis & figuris res propositas ornare, qui & voce & gestu decorè pronuntiare didicerit, illum ego perfectum oratorem verißimè nominabo. Quales in Græcia permulti, sed imprimis Demosthenes: quales in nostra ciuitate cùm alij quamplurimi, tum infinitis par-

tibus ante omnes alios tu, tu, inquam, M. Cicero, considera quomodo iam vitijs tuis refellẽdis virtutes tuas extollam? Quæris eloquentiæ perfectæ laudem? eam vero pleniſsimam tibi, veriſsimámque cõcedo: neque hîc tamen errorem aut vitium vllum tuum eſſe puto, ſed Ariſtotelis confuſionẽ iſtam iudico, qui primus in rhetoricis artibus philoſophiam conturbauit, ídque ſe feciſſe etiam gloriatus eſt initio rhetoricæ artis, vbi veteres reprehendit ſophiſtas, qui de dialecticæ inuentionis facultate nihil in rhetorica præcepiſſent: túque teſteris iudicij quicquid habueris, id omne huc collatũ eſſe: nunquam M. Bruto probaueris, tam leue Ciceronis eſſe iudicium. At dices te illũ neſcio quem abſolutum quærere, cui nihil addi poſsit, quem nunquam vidit Antonius: qui omnino nullus vnquam fuit. Depone quæſo te, M. Cicero, vanam iſtam & confuſam græculorum hominum, vel, ſi mauis, imperitæ plebis opinionem: hoc enim iudicium tuum non eſt. Vocauit Athenienſis populus eos homines oratores, qui cauſſas ciuiũ agerent & diſceptarent: quibus hominibus meritò putas multas artes attribuẽdas eſſe. Verùm redi ad illũ diſtinctionis fontem tibi propoſitũ: hunc errorẽ vulgi repudiabis. Et quidem quæris perfectum oratorem, cui nihil deſit: ſed admodum ridiculé. Primùm id quæris quod eſſe nullo modo poteſt.

Nulla hominis cuiuſquam natura perfecta eſſe poteſt, nulla ars, quoniam naturam imitatur, perfecta eſſe poteſt: nulla exercitatio perfecta eſſe poteſt: ſic vt addi nihil poſsit, cùm

Vita hominis tam breuis sit & incerta.
At orator, imò verò omnis artifex tribus ex illis rebus constat.
Orator igitur perfectus esse nullus potest: sic vt addi nihil ei possit.

Quid quæris igitur, quod inueniri non possit? quid igitur disputas, quod arte teneri non possit? An verò istam tuam Aristotelicam artem, tam vanam, tam confusam, tam falsam, vt demonstrare iam cœpi, & demonstrabo, oratoris illius tam perfecti artem audebis affirmare, vt eam quoque tam perfectam dicas, vt addi nihil ei possit? Nam si tam numeris omnibus absolutum oratorem intellexeris, planéque comprehenderis, necesse est vt tu causas quoque illas & naturæ, & artis, & exercitationis peruideris, quibus ad tantam illam perfectionem peruenire possit. At hoc nefas esse doceo: illud igitur. Poeticus est iste furor Marce Cicero, quo te potius in hanc cogitationem impulsum, quàm firma ratione adductum sentio. Admirabilis videri voluisti: noua quædam & inusitata fuerunt promenda: trita & vsitata contemnenda. Itaque tanquam 1.12 a
prodigij cuiusdam instar negasti oratorem perfectum reperiri in Græcis aut Latinis oratoribus: quasi verò facilius sit isto modo perfectum grammaticum, perfectũ dialecticum, perfectum medicum, perfectum denique in vlla alia arte virum inuenire, quàm in Rhetorica, aut omnino id fieri possit, cùm eiusmodi perfectio (vt dixi) ex tribus constet rebus, natura, arte, vsu, quarum nulla vnquam fuit, vel erit in homine perfecta.

Poetica inquam, sunt ista miracula plena quidem puerilis admirationis, prudẽtiæ verò ac veritatis inania. Quare vt tandem pars ista peroretur, Philosophia est (ais) oratori perfecto necessaria: argumẽto planè falso vteris, tum verò deinceps complecteris: non est igitur alienum de philosophiæ præceptis in arte Rhetorica dicere, Aristotelico sophismate deciperis: iudicio tuo nõ vteris. Enimuero non est istud, non est inquam, mihi crede, vel ipsius Dialecticæ, de qua loquimur, iudicio consentaneum. Animaduerte enim mecum, & attente considera, quid tuis istis vestigiis posßimus efficere: Est necessaria Grammatica oratori, dialectico, arithmetico, geometræ: imò verò fac omnes artes omnibus vtiles ac necessarias esse: alienũ igitur non est in Arithmetica de loquendi regulis, aut in Grammatica de numeris præcepta dare? Quis, obsecro, tam absurdã conclusionem feret? Atqui Dialecticæ proprium est leges definiendi dare. Cur igitur in quæstione de perfecto oratore Dialectica præcepta confunduntur? cur nõ suis locis potius discuntur? Artium enim omniũ quãuis vsus in humana vita cõmuni quodam quasi vinculo nexus coniunctúsque sit, institutiones tamen distinctæ esse debẽt. Quamobrem percipis, opinor, in hac vtilitatis & necessitatis ratione, quàm vehementer Aristoteles tuus erret, quãtam errandi occasionẽ simplicibus & imperitis paret. Nam si puer à Grammaticis institutus ad rhetoricas tuas artes se conferat, tãquam proximas his vnde venerit, admirabitur in his libris ita de philosophia dici, quòd ea formet oratorẽ,

quòd ex Academiæ ſpatiis, nõ è rhetorum officinis talis orator extiteris, quòd Pericles, quòd Demoſthenes à philoſophis tales oratores ſint effecti: tum rhetoricis ſtudiis omiſſis (quæ videt ſine philoſophia percipi nõ poſſe) tibicinis Latini modò ad philoſophiam tranſibit, vt Rhetorica, quæ abs te ſæpe famula & adminiſtra ſapientiæ dicitur, nunc videatur eius domina conſtitui. Hac ambitione commotos in omnibus ferè artiũ ſtudiis homines quoſdam vanitatis cupidiores, quàm veritatis videmus. Scribit hic de arte poetica? vt perfectum (quem ſomniat) poetam effingat, omnes ei doctrinas attribuit: alius medicum perfectum cogitat? nullam diſciplinam medico nõ ſubiectam affirmabit: alius grammaticum abſolutum deſcribit? omnia hominum inuenta grammatici cognitione comprehenſa eſſe contendet. denique ſi coquus aliquis de arte ſua loquatur, vt ſe beatum & glorioſum efficiat, nihil erit, quod iſto iure ſibi arrogare non poſſit. Vtinã Marce Tulli ineptiis iſtis aliquando tam libẽter curari voles, quàm ego tibi ſalutariter explicabo, deſines certè Ariſtotelis argutias impoſterum tam vehemẽter admirari: deſines teſtari te, iudicij quicquid habueris, huc contuliſſe: cùm hiſce de rebus omnino leuiſſimè credideris, nihil omnino iudicaris. De oratore nihil adhuc audiuimus, luſimus tantum, tres egreſſiones habuimus, quàm leues, quàm vix ioculatorias, quàm etiam moleſtas & odioſas, quoniam vides, nihil acerbius renouabo, neque dicam Aſiaticæ vbertatis oblectamentum hoc eſſe, non Romanæ grauitatis iudiciũ:

eloquentiam Ciceronis in toto genere orationis in verbis, in figuris, in nobilibus & eximijs exemplis argumentorum magnificẽ tiam vel in cælo pono: magistrorum, qui te isto modo quæstiones propositas tractare docuerunt, prudentiam sanè requiro. In scholam oratoris abs te inuitamur, interim viridariũ occurrit, eo voluptate pellecti trahimur: horti propinqui nos oble ctarunt, & illuc percurrimus, sunt circà rigui fontes, amœnitate illi quoque sua nos pellexerũt. Veruntamẽ heus tu in viã redeamus, vel potius viam ineamus: quoniam nondum ingressi sumus, & digrediamur ab his glorioſis digressionibus: & quod secundum in prima reprehensione positum est, ad oratoris inquisitionem ex Latinis & Græcis oratoribus & sophistis quod secundum est, aliquando veniamus. In quo primùm & nugatoriam proœmij repetitionem, & oratoris definitionem (quæ tamen inuestigatur oratione tam prolixa) initio positam esse video. Inuestigemus hunc igitur (ais) Brute, quem nũquam vidit Antonius. Nõne reuocatur huc exordiũ, quod initio fuerat? & idem difficultatis argumentũ iteratur? Atque hìc repetitionis exẽplum primũ deprehẽdo & commõstro, ne falso te in repetitionibus nimium à me dici putes. Agè porrò qualisnam hæc oratoris est inuestigatio? nónne definitur initio inuestigationis quod inuestigandum proponitur, vt inuentus iam sit orator ille priusquam inuestigetur? Tria dicendi genera, subtile, moderatum, graue definis: quibus oratorem peræquè excellentem, perfectum esse dicis: minus apertè quidẽ,

ſed tamen hoc loqueris, cùm ais, Tria ſunt omnino genera dicendi, quibus in ſingulis quidam floruerunt: peræquè autem id quod volumus, perpauci in omnibus: tum genera hæc tria definis: quid inquam, tribus illis ſignis propoſitis, nónne perfecta eloquentiæ idea quã volumus, fingitur & informatur? Et tamen tandem poſt indagationem lõgiſsimam idem nos reperiſſe gloriamur: quaſi non fuerit illud initio repertũ & definitũ. Recognoſce igitur, quæ oratio tua fuerit, & aude affirmare non eſſe prorſus eadem pronuntiantis, quæ nobis initio ſigna hæc tria ſignificauerant: complectar breui, (ais) diſſeram pluribus: is eſt eloquens, qui & humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperatè poteſt dicere: at nunc doces tria eſſe dicendi genera, ſubtile, graue, moderatum: quibus in omnibus qui peræquè præſtiterit, eum eſſe oratorem, quem volumus: definitum igitur oratorem tenemus, quem quærimus. Tenemus, inquies, animo, reipſa non tenemus. Bene res habet: perfectæ eloquentiæ ſpeciem & definitam veritatem mente & intelligẽtia complexi ſumus: effigiem & exemplum auribus quærimus: cur igitur tandẽ exclamas, quaſi noui aliquid poſt lõgiſsimam diſquiſitionem inueneris? Tenemus igitur Brute quem quærimus, ſed animo: nam manu ſi comprehendiſſem, ne ipſe quidem ſua tanta eloquẽtia mihi perſuaſiſſet, vt ſe dimitterem: ſed inuentus eſt profectò eloquens, quem nunquã vidit Antonius. Hæc eſt geſtientis & exultantis exclamatio, téque ipſum grauiter & acerbè accuſantis. Inueſtigare paras

oratorem magnis & molestis itineribus: at iam inuẽtus est. An verò dicere iam audebis, quicquid de dicendo iudicij habueris, huc te contulisse? An non fabulam aliquam populo dare volumus rustici cuiusdã asellum, in quo insideat inquirentis, tandémque post multos errores, cũ fortè ex longa solicitudine seipsum collegerit, & auriculas aselli aspexerit, sibi de reperto asello gratulantis? tua enim ista persimilis est indagatio. Collige, quæso te, & cõsidera qualis inuestigatio tua sit, & positis ante oculos harũ rerum exẽplis, noli pertinaciter honori ac gloriæ tuæ repugnare. Dico te errare in hac oratoris explicatione, errores ostẽdo: redi in viam. Atque etiam definitionem tam alienam & impropriam cognosce. Etenim ista generum partitio, quibus oratorẽ definis, rhetoricæ nihil est, nisi quod subiecti proprium est, adiunctis rebus attribuas: nec enim grauitas, subtilitas, mediocritas orationis ex elocutionis ornamentis oritur, sed è rebus ipsis, quæ elocutione tractantur. In comœdia sint omnes tropi, omnésque & sententiarum & verborum figuræ, sicuti sæpe sunt, & in omni materia adhiberi possunt (nullus enim tropi modus est, nulla species figuræ vel in verbis, vel in sententiis, quæ in paruis & mediocribus & magnis rebus aliquando adhiberi non possit, & Rhetorica est doctrina bene dicendi nõ de hac, aut illa re, sed cõmuniter de omnibus, & totius elocutionis ac totius pronuntiationis ornatus pro conditione rei vbique potest adhiberi) sed tamen in comœdia sint, vt dixi, hæc omnia: summissa tamen hæc appellatur

oratio: sint hæc eadem genera in tragœdia, sublimis: sint in re moderata, mediocris. Ergo rerũ varietas non elocutionis hanc distinctionem partitionémque facit. Finge comicam prosopopœiam, humilis erit: fac prosopopœiam tragicam, ardebit: idem tamen figuræ genus est: sed illius materiæ velut humiliori sono, languidius: huius grauiore fortius inflatur. Hoc modo syntaxis grammatica acuta, mediocris, incitata: hoc item modo syllogismus & subtilis & vehemens & moderatus diceretur. Quare partitio ista elocutionis (vnde tamen oratorem tam mirabilem fingi vis) propria non est: nec hinc idcirco definitur propriè & legitimè orator. Sed obliuiosi simus: ne recordemur, quod quærimus, repertum esse: oratorem quem inuentum amisimus, requiramus: aut exemplum & effigiem oratoris inuestigemus, si tamen ipsum ratione & cogitatione informatum tenemus. Nemo in Italia, ac ne in ipsa quidẽ Græcia talis fuit, ais: at hoc antea falsum esse docui. In Romanos oratores, atque in meipsum imprimis digrederis: digrederis, inquam, & quidem quarto loco digrederis, vt istis tot iam exemplis intelligas, cur in egressionibus non satis constans mihi videare. Et quoniã nos Attici esse & videri volumus, & inanem quandam verborũ profluẽtiam in te despicimus, imperiti tibi videmur. Atticos oratores laudas: in quo tibi libenter assentior: eorum genera (quos accusas) tria facis, Lysiacos in acuto, Thucydidios in graui, Xenophõteos in mediocri genere describis: qua partitione videor abs te esse liberatus, & reprehen-

sione nominis huius exceptus: neque enim in eorum genus vllum me (opinor) includis: quia nullum ex his solum imitandum mihi proposui. Itaque qui primo illo de Atticis sermone commotus, tecum pugnare & contendere parabam, nunc me ad tuam sententiam adiungo aggregoq; vereor tamen id vnũ vt tibi possim concedere, quòd Thucydidis orationes sic attenues, vt nihil ab ea possit ad oratorem transferri. Nam tu ipse reminiscere, quæ apud te de illo viro, cùm de historicis agit, loquatur Antonius, Thucydides, ait, omnes dicendi artificio facilè vincit: qui ita creber est rerum frequentia, vt verborum propè numerum, sententiarũ numero consequatur: ita porrò verbis aptus & pressus est, vt nescias vtrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Et tu ipse in hoc præsenti sermone, Incitatior, ais, fertur, & de bellicis rebus canit etiã quodãmodo claßicũ. Quid verò? quod Demosthenes à te maximis & quidem verißimis laudibus affectus Thucydidem tam studiose & legerit & edidicerit, quam causſam existimabis fuisse? an quòd oratorem vis illa militaris & bellica nil adiuuaret? nimio studio contradicendi laberis: & dum causſam tuam hoc modo superiorem facere conaris, inferiorem facis. Hoc verò non est tam diligenter, quàm dicis, M. Tulli, res expendere, atque iudicare: sed quod libuerit, arripere. Recipis autem te tandem ex hac egreßione, & errorem tuum velut agnoscis. Referamus nos igitur (ais) ad eum quẽ volumus inchoãdum: Bellè me hercule res habet, magno labore leuatus sum: metuebam enim vt rudibus

& imperitis te toties à proposito digressum probarem: tuæ nos errationis admones: in viam reuocas, & culpam nondum accusatus, sponte confiteris. At Deũ immortalem, quid tibi vis? exhortaris nos ad rectius deinceps iter ingrediendum: & quod agitur aliquando considerandum. verùm quinto loco viam deseris, & recto cursu omisso, indomiti instar & effrænis equi (quocunque rapit impetus) excurris: ad eosdem veluti carceres exordij relaberis: & quoniam in hac ludicra (credo) & ioculatoria lusione tibi commodũ est, idem argumentũ tertio loco repetis. An moneo te frustrà, mi Cicero, vera esse, quæ tibi à nostris Atticis obiiciuntur? dico te in egressionibus, vel scholastico rhetore frequentiorem esse: egressiones tuas ostẽdo: dico te in repetitionibus nimiũ esse: repetitiones odiosas & molestas indico. Etenim magnus iste tuus in nos amor & ingens difficultatis magnitudo, nõne primo exordio nos satis incitauerãt? hîc cur iterãtur? cur amplificantur? quid ista testificatio volũtatis ad institutam rationem pertinet? doceri de oratore quid optimum iudicares volebam: blanditias istas laudationum non requirebam: maxima voluntate (quoniam te precibus impuleram) ad iudicium tuum percipiẽdum commotus eram: quæstionis grauitate (quam tãtam facis) toties frustrà excitandus nihil erã. Pergis oratorẽ inuentũ (vt antea dixi) tamẽ indagare, & eius effigiẽ (quã in Latinis, in Græcis etiam oratoribus nullam videras) in sophistarum & rhetorum scholis inquirere: quorum oratio quid discrepat ab oratoris oratione, illa enim tibi vi-

detur dulcis, effluens, concinna, suauis, apertè omnibus pigmẽtis rhetoricis colorata & distincta: hæc fortis, cõtorta, probabilis, occultè & velut ex insidiis nõ tam ornata, quàm armata insignibus elocutionis: illa ex ludo & palæstra in pompam, hæc in aciem, pugnã, dimicationémque venit: idcirco concludis oratorẽ perfectum apud hos magistros & artifices orationis non esse. Quod non satis acutè distinguis, quasi perfectus orator istam quoque sophisticam dictionem non adhibeat aliquando cùm opus sit, & in summa eloquentia non etiam laus ista dicendi sita sit. Etenim siquid scienter & artificioſe numeris explicatur, ea laus quãtacunque sit, Arithmeticæ tota & propria est: sic orationis ornatus pressus an effusus, amplus, copiosus, an rotundus, & limatus ad possessionis ius nihil interest, rhetoricæ proprius putandus est: vt tu etiã in hac disputatione indicas, quando ais elocutionem oratoris esse propriam: susceperis autem panathenaicũ aliquod dicendi argumentum, aut imperatorem laudandum, vbi populus orationis tuæ suauitate oblectari volet: tu qui auditorem facis eloquentiæ moderatorem, quomodo dices? num Isocratis more? sic opinor: nam tu ipse postea moderatum dicendi genus (quod oratori perfecto subiicis) è sophistarum fontibus defluxisse confirmas, in eóque ais omnia dicendi ornamenta cõcedi ac permitti. At illo genere orationis in foro non vtitur orator: quid tum? at alicubi certè vti potest. Atque ista forẽsis dictionis & epidictica differentia ex rebus magis est, quàm ex oratoriæ artis ratione atque vsu, vt

antea dixi de tribus generibus. Sed quid tam lõga oratio ad hanc differentiam constituendam exprimenda fuit, vt epidictici generis inuentores, authores, perfectores cognosceremus? & quæ aliena etiam hîc erant (hîc enim sexto loco digrederis) sed tamen quæ aliena hîc erant inquam, de Thucydidis, Herodoti, Isocratis laudibus audiremus? ac etiam, si diis placet, nos refelleres, quòd Plato laudaret Isocratem, quem nos improbaremus. Ego verò, mi Cicero, non multò plus de fama Isocratis detraho, quàm tu in hoc ipso loco detraxisti. Principem sophistarum facis, qui palæstræ homines dicati & pompæ, ad puerilem quandam & inanem ostentationem instituti & formati, omnes delicias, vel potius ineptias consectentur. Quid ergo mireris, si mollitiem vix satis nõ dico honesto viro, sed modesta muliere dignã asperner ac contemnam? Hæc inquam, tam prolixa oratio quid ad inuestigationẽ oratoris attinet? nisi fortè simili ratione duceris, atque antea. Est vtilis philosophia oratori: nõ igitur est alienũ de philosophorũ decretis in eloquentiæ explicatione dicere: ita nunc sophistici generis nutrimentis eloquẽtia alitur & educatur: non igitur est alienũ in hac oratoria quæstione de primis illis incunabulis paulò copiosius & vberius quærere: nẽpe ista subtili & acuta conclusione misceas & confundas omnia, alienum nihil erit, quandoquidem nihil est à rei (de qua quæritur) natura tã diuersum, quod emolumẽti nihil afferre possit. O te Marce Cicero, nõ Rhodij Molonis, sed Menippi, Dionysii, Æschyli, Xenoclis Asiaticorum rhetorum

discipulum: neque enim tam inanẽ loquacitatẽ aliun de sumpsisti: definisti oratorem, & tamen definitionem eius inquiris: nos in iucundiorem locum vnũ atque alterum è molesta via fessos videlicet adducis: res alienas & commentitias interponis: id sophistarum & rhetorum proprium esse, hoc ipso loco confiteris, & tamen facis. Atque in his duobus primæ reprehensionis membris magis Asiaticam redundantiam notaui, quàm rhetoricam vitiose descriptam disputaui. Proponis initio de Oratore te dicturum esse: & verè quidem, atque dialecticè proponis: sic enim lex iubet vt id ponatur initio, de quo agendum sit: at egrederis subinde, & quidem tribus continuis egressionibus: primùm exordium repetis: oratoris definitionẽ ponis initio, falsam quidem & ridiculam: quam tamen velut non inuentam magnis erroribus inuestigas: neque Latinorum, neque Græcorum oratorum cuiquam definitionem hanc conuenire putas: egrederis iterum: de Thucydide falsa dicis: egrederis rursum: argumentũ exordij tertiò repetis: falso doces epidicticum genus perfecti oratoris nihil esse: egrederis adhuc rursum. Tot igitur egressiones, tot repetitiones, tot falsæ res omnibus locis permistæ, veræ rhetoricæ micam nullam habent: tamẽ hæc vitia loquacitatis Asiaticæ nescio quo modo propria magis videntur: definire vis Oratorem perfectum, id omnino non facis: rhetoricæ artis vnum vitium est, quia non rectè definiatur: cætera illa interim tam multa redundantia (quam piget sæpius dicere) alius cuiusdam generis culpa est: & quidem (vt

dixi) magistrorũ Asiaticorũ culpa potius, quàm tua. Ab illis enim fœcundã illam tot egreßionũ & repetitionum copiam sumpsisti. Ornatus autem orationis tuæ in iis licet ineptiis & nugis tamen tantus est, vt me quoque sentiam, cùm istis de rebus contra te disputo, elegãtiorem & ornatiorem ornatu ipso tuo esse factũ: & istam laudem singularem tibi conseruo: nullũ tuũ tropum, nullam figuram reprehendo, sed omnia dictionis & locutionis ornamẽta summa tibi concedo. Quæ verò sequuntur, maiorem de oratoris arte contentionẽ habent: In tertio enim quartóque membro mirabilem artis rhetoricæ caliginem video: neque tamen hanc Ciceronis præcipuam potius & propriam culpam statuo, quàm Aristotelis & magistrorum aliorum, è quorum scholis & libris præceptiunculas tam perturbatas in hunc librum, sicut in reliquos oratorios transtuliſti: authoritati nimium tribuisti, vnius præsertim Aristotelis: qui tot tenebras in rhetorica & dialectica peperit. Bona enim (quæ videmus in te) tam egregia, támque diuina singularis orationis elegantia, incredibilis ornatus, ingenium in rebus acerrimum: iudicium etiam, vbi liber & attentus esse volueris, sanè amplißimum: Reipublicæ regendæ summa scientia: excellentium denique virtutum tam multa genera Ciceronis propria sunt: quæ nonnunquam requirimus, magistris quibus facilè magis & beneuolè quàm temerè credidisti, potius aßignanda sunt. Nego enim M. Tulli, nego inquam verum esse, quod tibi tamen tantopere persuasisti, quicquid iudicij habueris, id te

totũ huc contulisse: nego enim de tam multis inuẽtionis & dispositionis erroribus qui sequuntur, tui iudicij quicquam esse. Quamobrem deinceps existimato, me potius aduersus loquaces Græculos & leues disputare, quàm tecum seuerius agere. Tria oratori (vt de tertio membro dicere incipiam) videnda esse dicis, quid, quo loco, quomodo: vestigia tua, sicut adhuc feci, persequar: & vbicũque notas confusionis inustas inueniam, inibi quoque veræ & constantis admonitionis contrariã lucem imprimam. Nos igitur ad eloquẽtiæ partes quæ dicuntur, adducis: in elocutione sola cæteris partibus repudiatis, oratoris propriam laudem positam esse dicis. Hîc nostras voluntates consentire video: distinguere vis oratoris propriam facultatem à cæteris omnibus artibus: hoc item ipse volo, sed alia via, quam tibi sequendam esse duxisti. Solam elocutionem oratoris propriam facis, ego actionem addo: reliquas partes, Inuentionẽ, Dispositionẽ, Memoriã separas hactenus, vt propriæ non sint: retines tamen, quia cõmunes oratori putes cum artificibus aliis esse: ego verò vsum artium communem esse sæpe iam prædico: præcepta tamẽ ea propria esse & confirmaui antea in dispositionis vniuersæ fundamẽto, & hîc iterum confirmo: & Inuentionem, Dispositionem, Memoriam dialecticæ artis esse conuinco, quia rationis omnino sunt: quia sine vllo orationis vsu seipsis contentæ esse possunt: hanc regundarum artium legẽ tam constantẽ, tamq; nobilẽ mihi propopsui, tu Aristotelis captiosam & fallacem opinionem habuisti. Hæc igitur iam videamus, vtro mo-

do verius oratoris fines regantur, & de tribus quæ videnda oratori esse dicis, disseramus. Sed has tamẽ partes nouo quodam & inusitato modo partiris. Nam de partibus eloquentiæ (quas putas) vnam prætermitti affirmo: & duas tamen præterea redundantes includi: ita omnia partiendi vitia hîc coniuncta sunt. Etenim incredibili obliuione partem eam omisisti, quæ nisi esset, meminisse nil posſimus. Memoriæ enim, quã alibi partem eloquẽtiæ facis, nullum locum relinquis. Dicis Oratori tria esse vidẽda: quid dicat, quo quidque loco, & quomodo: primo membro inuentionem, secundo collocationem, tertio eloquutionem & actionem comprehendis: memoriã igitur in hac triũ membrorum partitione prætermittis. Cõmunis est (ais aliquot paginis post eam partitionem) multarum artiũ: propterea omittitur. Enimuero, inquam, inuentionis & dispositionis tota doctrina quãuis dialecticæ propria sit, vsu tamen suo potest ad omnes res accommodari, sicut memoriæ doctrina: cur igitur hæ recensentur, illa contemnitur? Sed maiora sunt in hac partitione vulnera, quibus æqua ratio mederi nullo modo posſit. Tria videnda esse oratori dicis: quid, quo loco, quomodo dicat: at vnum duntaxat videndum esse oratori non modò contẽdo, sed necessariis rebus addico: Inuentio & Dispositio (quæ rerum & copiam & ordinem suppeditant) dialecticæ partes propriæ sunt. Reeamus enim ad illum rhetoricæ fundum, quem initio definiuimus, & à cæteris distinctum ei proprium dedimus: cõfusionem tollamus: meminerimus etiam quæ

de te ipso antea diximus: neque enim vel hîc diffiteris, quod aio, cùm ais duas illas inuentionis & dispositionis partes magis esse proprias prudentiæ, quàm elocutionis: & alias item apertius confirmas, cùm doces dialecticæ duas esse partes, vnam inueniendi, alteram iudicandi. Iudicium autem dispositione fit, vt intelligitur ex syllogismo, in quo ex argumenti cum partibus quæstionis collocatione quæstio iudicatur. Quid igitur? quousque tandem confusionem artium tantam perferemus? an nunquam illud intelligemus, quod initio posui, in Republica optimis legibus moribúsque constituta, fundos & possessiones singulorum ciuium certis finibus regi, terminari, & circunscribi: sic in artibus propriè vereq; traditis, materias distinctas, partitas, definitas esse oportere? Docet Grammatica dictionum proprietates, coniunctiones, rationes in proferendo & scribendo: ne igitur hæc alia sibi doctrina vendicet: explicet Rhetorica tropos & figuras oratorias: adde vocis & gestus varietatem ac dignitatem: quia hoc ei propriè subiectum est: iniuria fit, si Dialectica sibi harum explicationem rerum attribuat: Dialectica propria vis est, & inuentionis fontes aperire, & collocationis ordinẽ describere. Qua igitur ratione rhetorica idipsum profiteri ac suscipere audeat? Si quis ad alienum fundum, murum constituerit, pedem relinquito: tu cùm ad alienũ dialecticæ artis fundũ, rhetoricum murum ædifices, non modò intermedium pedem nullum relinques, sed mediam fundi partẽ occupabis & intercipies? At Rhetorica, dices, siue his in-

ueniendi & disponendi partibus perfecta esse non potest. Id verò antea docui planè absurdum & falsum esse: potest enim puer, cùm à grammaticis discesserit, tropos & figuras in poetis & oratoribus intelligere: & materia proposita tractare, & per se exercere, & cum dignitate pronuntiare: quod solum Rhetoricæ prorium est: deinde si non posset vsus Rhetoricæ sine dialecticis illis virtutibus perfectus esse, an idcirco perturbatio hæc & confusio doctrinæ confingenda esset? nō potest, vt ad eosdem impetus sæpius iteratos idem murus nobis opponatur, sine numeris geometria, musica, astrologia consistere: an propterea hæ artes numeros explicare, & suæ professioni subjcere debebunt? vsus artium, vt iam toties dixi, copulatus est persæpe: præcepta tamen confundenda nō sunt, sed propris & separatis studijs declaranda. De perspicuitate doctrinæ disputo, vt suis sint possessionibus artes distinctæ, non alienis confusæ: non recuso, imò verò maximè probo ac laudo, vt sit idem Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, cæterarumq; disciplinarum (si fieri posit) doctor ac magister, qui dissimilium ac variorū dogmatum vsus ad mentem & linguam conformandum sociatos & coniunctos ostendat: sed tamen qui suo tempore, qui suo ordine, qui sua velut ætate & maturitate singula partita ac definita doceat. Vides quomodo regantur à nobis artium fines? quo iure, qua lege suum cuique tribuatur? quo iudicio res discepten-

tur? Dicis deinde inuentionem & dispositionem non tam insignes esse ad laudem, quàm necessarias: quod

his videlicet præstet elocutio: id autem falsum est: quanto enim mens præstantior lingua, tanto inuentio dispositióque (quæ mentis sunt) excellentiores sunt elocutione: deinde continuò pòst ad firmas partes illas easdem duas, tanquam animi instar esse in corpore, vt intelligamus antecedentia consequentibus esse confutata: nempe quanto sit animus corpore præstantior, tanto inuentionem & dispositionem elocutione esse nobiliorem & excellentiorem. At mirifica quædam subtilitas ingenij tui est in hunc vnum effusa locum. Tribuis oratori Inuentionem & Dispositionem, cùm ais videndum oratori quid dicat, & quo loco dicat: tum detrahis, cùm negas eius esse proprias: ac rursus subiicis, cùm iubes ei notos esse argumentorum locos, item iudicij ac dispositionis modos: acuta sanè & sibi constans oratio. Hîc M. Tulli te fefellit Aristoteles: hic enim magister (vt antea dixi) gloriatus est se primùm inuẽtionis artes & probationis in rhetorica tradidisse: id est, dialecticam in rhetorica confudisse. Sed tamen valde mirum est, quòd orator nondum inuentus, aut certè velut non inuentus, nunc tam multis rebus instruatur, id est, nondum natus vestiatur & ornetur. Nouerit (ais) argumentorum locos, iudiciũ adhibebit: magna diligentia collocabit: vtcũque se affectum videri, & animum audientis moueri volet, ita certum vocis admouebit sonum, idémque motu sic vtetur, nihil vt supersit in gestu. Hîc oratorem Inuentione, Dispositione, Pronuntiatione instruis, quem tamẽ tibi videris non inuenisse: non definisse, quàm verò

præpostere, quàm ad illas Platonis ideas inconuenienter & indecorè. Primùm enim (quia ratione & via te disputaturum recepisti) orator tibi fuit ad vltimã sui generis formã, speciemq; redigendus ac definiẽdus, tum propriis rebus exornandus. At antequam tibi videaris inuenisse, vel definisse, de ornamẽtis disputas, & quidem non alienis solùm (inuentio enim & dispositio Dialecticæ sunt propriæ) sed etiam falsis. Quæstionum enim (quas Oratori tractandas putas) genera tria & falso & inutiliter facis: an est, quid est, quale est. Ista vanitas Aristotelici ingenij est: quæstiones (vbi, Deus bone, minimè necesse fuit) eiusmodi argutiolis dispertiri. Rem paulò diligentius, accuratiusque disputemus. Cur igitur tria quæstionum genera constituuntur? nam diuisio & imperfecta & inutilis est: cùm quæro vbi est? quando veniet? quo pergit? quot partes habet? ex quo constat? quamobrem id est? nihil horũ trium requiro: scio nos pueros in scholis falli solitos nescio quibus captionibus, quòd ad hæc tria genera, reliqua reuocari dicerentur. Sed per Deũ immortalem, quid sibi vult hæc illusio? an tres sunt artes harum trium quæstionum propriæ, per quas reliquæ tractentur quæstiones? Quæramus summã & primam partiendæ quæstionis causſam: Aristotelem & falsum & fallacem, vel Aristotelis ipsius artibus doceamus: ἀποδειξιν adhibeamus. An inquã tres sunt artes singulares trium illarum quæstionũ propriæ, per quas solas quæstiones reliquæ tractentur? hæc enim vera & summa causſa esſet. At ne id Aristoteles quidẽ

Quæstionum genera tria. 1. 4. 6.

ipse, si reuiuisceret, dicere audeat, cũ præter quæstionum locos & inuentionem, confundat aliã inuẽtionem & in tribus caussarũ generibus, & in partibus orationis: quod tu ab illo es etiam mutuatus. Quare partitio ista inutilis est: atque etiam hoc idem repetatur altius. In grammatica, in arithmetica non fit diuisio rerum per grammaticam & arithmeticã explicandarum: quid ita? quia ad res omnes sibi subiectas declarandum omnino & communiter adhibentur: nec earũ pars aliis alia rebus accommodatur: cur in oratoris tui doctrina (cuius partes quinque facis, Inuẽtionem, Dispositionẽ, Elocutionem, Memoriã, Actionem) cur inquã res oratori subiectæ, id est, quæstiones diuiduntur? An non est tota vel quinque partibus cõfusa rhetorica, quæstionum omnium cõmunis? doctrina pronũtiationis vna communis est omnium rerum pronuntiandarum memoria recordandarum, elocutio ornandarum, dispositio in syllogismo & methodo (quas res nusquam tamen integras, nec Aristoteles in rhetoricis confundit, neque tu exponis) collocandarũ, inuentio cogitandarum: Quod si est, quorsum tua partitio? At videris in postrema parte resistere, sicut Aristoteles tuus. Ad certas (ais) quæstiones certi argumentorũ accommodantur loci: sitne signis, quid sit definitionibus, quale sit recti prauiq; partibus disputatur: quid si (inquã) & hæ tres quæstiones & omnes aliæ prorsus ijsdem argumentis tractẽtur, nõ inutilis erit ista diuisio? redderes enim rationem atque caussam, quomodo ad artis vsum spectaret, quod ad nullam artis partem spectaret: illud

autem vel tuo ipsius testimonio facilè probabitur: hoc igitur fateare necesse est. Etenim prima quæstio signis & coniecturis disputatur, ais: quid cõiecturæ? vnde sumuntur? Ex caussis, euentis, circunstantijs, testimonijs, quæstionibus, exemplis, comparationibus: denique (vt in partitionibus doces) ex verisimilibus & propryis rerum notis: illas definis, quæ plerunque: has, quæ nunquam aliter fiant: quibus duobus generibus omnia argumentorum genera complecteris: quia omnia argumenta (siquid verè arguant) aut plerunque, aut semper fiunt: deinde, quanuis id non doceres, tamen omnino verum est ex decem argumentorum generibus, caussis, factis, subiectis, adiũctis, dissentaneis, nominibus, comparationibus, tributionibus, definitionibus, testimoniis (quæ omnia & sola argumẽtorum genera sunt) nullum esse, vnde coniectura tractari nõ possit. Ergo ad primam quæstionem omnes inuentionis loci accommodantur: ad secundam quid? soláne definitio? at definitio, vt in iisdem partitionibus author es, ex omnibus argumentis exponitur: & si id nõ doceres, tamen omnino verum est, absolutam definitionem ex caussis rem constituentibus, descriptionem etiam è reliquis argumentis fieri: tertiæ quæstionis disceptatio (quam hîc doces recti prauíque partibus, quod argumenti generale nullum nomen est, explicari) ex locorum descriptione sumenda est, vt ais ibidem. Vna igitur inuentio communis est omnium quæstionum: neque hi loci harum quæstionum propryi, sed omnes cõmunes omnium. Itaque nulla est caussa quæ-

stionis distribuendæ, vel in ea rhetorica, quam quinque partibus falsò constituis. Vnus est Romæ fluuius, Tyberis, ad varios vsus accommodatus, ad potandũ lauandum, irrigandum, purgandum, restinguendũ, vehendum: nec singuli riuuli ad singulas eiusmodi commoditates dirimuntur, sed vniuersum flumen sua natura tale est, vt singulis vsquequaque adhibeatur: ita est inuentionis doctrina per se tota communis ad vsus omnium quæstionum: hinc enim causſæ, facta, subiecta, adiuncta, dissentanea, comparata, nomina, tributiones, definitiones, testimonia, id est, omnium generum argumenta, ad omnes quæstiones, ad omnes probationes assumuntur. Quare iam licet Aristotelem magistrum interroges, vel potius hoc argumento refutes:

Ars omnino communis subiectã sibi materiam diuidere non debet,

vt grammatica, arithmetica, geometria.

Rhetorica etiam tot partibus confusa, tota communis ars est.

Rhetorica igitur subiectam sibi materiam, id est, quæstionem diuidere non debet.

Quamobrem & hanc, & quamlibet aliam quæstionum partitionem (quales in topicis & analyticis, non solùm in rhetoricis Aristoteles somniauit) tollamus: quando nihil veri, nihil commodi ad inuentionis rationem afferre potest. His locis (ais) sic vtetur orator, vt à propriis & personis, & tẽporibus cõtrouersiam, si posſit, auocet. Hoc præceptum non hîc solùm, sed in

oratoriis dialogis valde miratus sum, cùm affirmares omnes controuersias ad vniuersi generis vim referri. Et hoc Aristotelicum somnium est: sustulit enim Aristoteles de problematis topicis problema non modò rei propriæ, sed infimi generis, quam ille ridicule speciem vocat, vt non quæreretur, an est hic homo Plato: sed ne omnino, an Plato est homo. Sustulit è syllogismorum simplicium doctrina conclusiones ex propriis enuntiatis, nec vllum præceptum de ijs posuit, cùm tamen affirmet per artes à se traditas trium figurarum (vt ait) omnes syllogismos concludi. Aristotelei autẽ Aristotelem hîc defendunt, quia singularia reijcienda esse dicant à disciplinis. Quasi verò de singularibus & specialibus non posit esse generale & vniuersum præceptũ. Aristotelis igitur has nugas sequutus, reijcis ab arte, credo, hypothesim, & quæstionem singularem tollis: ad inuẽtionis locos dicis nil Opimij nomẽ, nil Decij personam, denique nullam definitam quæstionem & circunstantijs conclusam pertinere. Nam cùm quæritur, an Opimius iure Gracchum necauerit, nónne & personæ, & cædis, tum facta, tum caussas, tum reliqua argumentorum genera ex inuentionis locis requiro? Ex inuentionis igitur locis, non solùm generalis quæstio, sed specialis etiã disputari potest. Quòd si diceres argumenta, quæ de quæstione posita oriuntur, nisi vniuersè & generaliter tractentur, vim nullam habere, aliquid quod intelligi & probari posset, affirmares: vt in Opimij defensione si dicas, Ex senatusconsulto necauit: iure igitur fecit. ratio perinfirma in hoc

genere plerũque sit: nisi propositio generaliter statuatur, vt id omne iure fieri, quod senatusconsulto factũ sit: id inquã, perspicuè & probabiliter diceretur, tametsi ex parte quadam, non totum: argumenta enim singularia sunt quædam, quæ sic enuntiari non possunt, vt Plato est philosophus, idémque Athenienſis, quare & Athenienſis quidam philosophus est. At hebes & impolitum hominũ genus Antonij voce appellas, qui putant etiam controuersias, id est, peculiares & definitas quæstiones, non solùm generales & vniuersas locis inuẽtionis explicari. Obsecro, mi Cicero, desine hasce magnificas nugas tanti vẽditare. Aristotelem istum tam captiosum, tam mendacem, tam vanũ abyce: noli hominis huius tam multas ineptias iudicium tuũ nominare: sperabã me, cùm primò ista dicerentur, scientiã quandã percepturũ singularẽ & admirabilẽ, quã cæteri antea omnes dicendi magistri ignorassent: at fumũ dũtaxat video liberali doctore certe minimè dignum. Similia duo sunt, vnum, quod argumentorum genera loci à te nominantur: alterum, quod mones vt discat orator, vnde emanent communes loci: grammaticæ etymologiæ octo partes poterant appellari etymologiæ loci: primus de nomine, secundus de pronomine, ac de cæteris partibus orationis eodem modo: poterant dialectici iudicij multiplices loci nominari in syllogismorum & simpliciũ & coniunctorum modis. Aristoteles primus, vt argutulus & spinosus fuit, excogitauit, vt genera argumentorum τόποι, id est, loci dicerentur, parsq; illa dialecticæ τοπικὴ diceretur.

Hinc ortæ sunt otiosorum & inertium hominum quæstiones, quomodo differant & locus & argumẽtum: quasi argumentum non esset ipse locus: & artis vocabula non significarent aliquãdo artem ipsam, aliquãdo res artibus propositas: vt nomen aliquando significet nomen, id est partẽ orationis: aliquando rem ipsam illi parti propositam: vt Cicero, Cato: sic argumentum indicat. aliquando artem argumenti, aliquando rem ipsam, quæ arguit & probat. At verò quanto simplicius erat inuentionem (si hoc nomine priorem Dialecticæ partẽ placet appellare) definire artem earum rerum, quæ dici de quæstione possent? quæ omnes quoniã probarent & arguerent rem dubiam, argumenta dicerentur: tum argumentorum genera describerentur: loci nullum nomen quasi proprium interponeretur. Atque hoc è propositis duobus alterum: secundum sequitur: iubetur abs te orator videre, vnde emanant communes loci: vnde, quæso, disputationes latæ & insignes? num ex cõmunibus inuentionis argumentis promuntur? & vnde paradoxa, quæ cõmunes locos vocas, nónne ex ijsdẽ locis, vnde omnis argumentatio disputatióque sumitur? Explica totam philosophiam Ciceronis, quæ communibus locis continetur, de voluptate, virtute, morte, dolore, cæteríque rebus: argumenta omnia, causſæ erunt aut facta, aut aliquid omnino è decem generibus argumentorum. Quid ergo fuit opus, cùm de locis inuentionis monuisses, præterea de locis communibus præscribere? quasi non & illis hi continerentur? quasi denique disputatio vlla esset, quæ ar-

gumentis non vteretur? & argumentorum doctrina inuentioni aliquando non attribueretur? Inuentionis doctrinam nullam tradis: eam verò (quoniam oratori tuo subijcis) debueras totã locis decem causis, factis, subiectis, adiunctis, dissentaneis, nominibus, cõparatis, distributionibus, definitionibus, testimonijs cõcludere & declarare: nihil autem definis, nihil distribuis, nihil omnino inuentionis exponis: quare non disputabo tecum pluribus ista de re: nunc de dispositione videamus. Hæc autem duplex est, altera singulorum argumentorum, coniunctorum altera: illic syllogismus est ad res omnes iudicandum: hîc methodus ad clarius percipiendum. Hæc verè descripta dialectica (quod tuus Aristoteles in Rhetorica magno sectatorũ suorum detrimento tam miserè confundit) docet ac demõstrat: ex syllogismorum doctrina regulam certissimi & constantissimi iudicij nobis instituit, vt statuamus quæ vera & quæ falsa, id est, quæ verè bona, mala, vtilia, inutilia, honesta, turpia, iusta, iniusta, expetenda, fugienda, firma, infirma: aut contrà quæ falso talia esse dicãtur: hoc enim præstat aurea illa syllogismi diuinaque regula. Ex artificiosæ verò methodi lumine, cùm res & vniuersæ generalésque præcesserint, & subiectæ partes sequantur, omnésque mirifica illa antecedentium & consequentium connexione ac collocatione ita dispositæ sint, sanè fit vt & doceantur apertius, & multò facilius intelligantur: hæc artificiosè siquidem methodi claritas est. Tu verò quomodo istã nobis explicas dialecticæ dispositionis doctrinã? Quid

de dispositione & ordine & methodo

de syllogismo ad singularum quæstionum iudicium? quid de methodo ad coniunctarum ordinem & collocationem? Vtriusque aliquid, Aristotelis tui modo, confundis: neutrius artem vel innuis. Nam cùm de inuentione, quæ voluisti, dixisses, tum de iudicio & delectu argumentorum præcipis, eadem scilicet quæ in oratorio secundo, & in partitionibus, antequam tamen de dispositione dicas: vt mirum Dialecticam tenentibus videri possit, quid artis hîc exponas. Nam cùm quinque partes eloquentiæ tuæ facias ex dialecticis & rhetoricis confusis, inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, actionem: prima parte descripta de iudicio præcepta ponis, quæ tamen ad nullã de quinque partibus partem referas. In dialecticæ dispositionis primã partem, id est syllogismum incidis: delectum inuentarum rerum quæris, artem nullam eius esse putas: imò dispositionis nihil hîc esse sentis, & tãquam cæcus in Aristotelica caligine titubas. At verò M. Tulli, delectus iste tuus iudicium dialecticum est: & arte omniũ artium pulcherrima suauissimáque re prehẽsum. Si argumenta reperta, & quæstioni compa rata luce sua non pateant, alijs clarioribus repertis, & ad syllogismi regulam compositis id intelliges. Hanc verò tam singularem doctrinam caue ne doctrinæ expertem iudices. Quid enim Stoici, quos acerrimos disputatores semper existimasti, quid reliqui dialectici, an vanam & inanem ex tot conclusionum generibus & modis doctrinam tradiderunt? An syllogismus, quo res omnes æstimantur, & simplex & coniunctus

artem nullam habebit? O dies frustrà nobis consumptos in audiendis dialecticis, si modò vera prædicas. I verò nunc, & testificare te, quicquid iudicij habueris, huc totum contulisse, qui micã tui iudicij nullam sanè ijs in rebus adhibueris. Vtinam, mi Cicero, in explicando iudicio iudicium tuum potius adhibuisses, quàm Aristotelis mendacia secutus esses. Credo enim & huius erroris Aristotelem tibi magistrum fuisse, qui tametsi de syllogismis simplicibus tam multa cumulauit, tamen nullum eorum vsum docet, nec iudicij nomen vsquam adhibet: & nisi me memoria fallit, in quibusdam rhetoricis hunc tuum delectum argumentorum instituit. Audiuisti itaque iudiciũ rebus inuentis adiungendum esse, quoniam vt à fœcundis segetibus non fruges solum, sed etiam frugibus inimicissimæ herbæ gignuntur, sic ab ingenijs doctrina præsertim excultis, & tanquam subactis nõnulla aut leuia, aut inutilia cogitantur, quorum magnus delectus habendus sit: quod sanè verum est: id ad dispositionẽ nihil attinere, simpliciter credidisti. Itaque in oratorijs dialogis, & in partitionibus, & in hoc oratore post inuentionem monuisti de iudicio: tum dispositionis artes explicasti, quasi iudiciũ dispositionis nõ esset. Quanto verò in populi caussis, q̃ in huius doctrinæ studijs acutior es? Testis adducitur vel Catone sanctior? ei nihil credis: vitam, mores, voluntatem, caussas omnes testimonij excutis, omniáque efficis, ne quid eius testimonio tibi noceatur. At in explicandis artium decretis (vbi longè maxima non credulitas, sed prudẽ

tia esse debeat) audis illum doctorem affirmantem iudicium partem esse dialecticæ, & dispositione syllogismi ac conclusione describi: fateris, atque etiam scriptis libris profiteris. Audis hunc quinque partes eloquentiæ constituentem, inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriã, actionem: iudicium verò artis nihil habere: fusum quendam & latè per omnia sparsum sensum esse: id quoque credis & sequeris, & præceptis testaris. Quãobrẽ collige teipsum, & ad academiæ spatia (vnde te oratorem tantũ, quantus es, extitisse prædicas) reuertere: ex illis curriculis reminiscere, quàm non præcipitandum iudicium, quàm cohibenda & suspendenda non perspectis rerum caussis sit assertio. Cùm autem isto modo de syllogismo disputasti, de methodo, dispositionis nomine (neque enim syllogismum dispositionis partem esse vidisti) pauca præcipis: & ex ea partitionem orationis eam deducis, quam & postea repetis, & in tuis omnibus oratoryis libris adhibuisti in exordium, narrationem, confirmationem, peroratione. Hoc igitur loco dialecticæ methodi aliquid inesse video: quia summa ponitur initio, quæ vt simplex aut multiplex est, ita disposita, deinde disputatur & peroratur. At sancte Iuppiter, quãtas hîc Aristotelis vnius tenebras aspicio? gloriatur ille philosophus se syllogismi inuentorem & doctorem inter homines primùm fuisse. Verùm quàm nescit hic inuentor inuenti sui doctrinam? quàm potius totum ignorat vsum? Syllogismus, quòd ad artem eius attinet, est cõstans argumenti dispositio cum partibus quæstionis,

qua ipsa quæstio vera falsáue iudicatur. Aristoteles cùm de dispositione præcipit, syllogismum dispositionis esse nihil intelligit. Syllogismus, si spectes eius vsum, est iudicij, est delectus omnibus in rebus vnica & singularis regula: Aristoteles cùm de delectu & iudicio præcipit, syllogismum iudicij & delectus nihil esse cognoscit. Nescit igitur Aristoteles syllogismi doctrinam, nescit vsum. Methodus, si ad perspicuè docendũ
Meth. l. 1. *via quæratur, est dispositio rerum ab vniuersis, & generalibus principiis, ad subiectas & singulares partes deductarũ: Aristoteles (quem sui quidã sectatores & æmuli, methodi laude tollunt in cælũ) cùm de rerũ, quæ inuentæ iam sunt & repertæ, quæ selectæ sunt etiam atque iudicatæ, summa collocatione & dispositione agitur: de methodo nihil ait, nec dispositionis huius quicquam esse sentit. Methodus, quod vsus est, est lux vniuersi illius ordinis, qua res ita dispositæ docentur apertius, & facilius percipiuntur: cùm de ista dispositionis vtilitate agitur, Aristoteles methodi nihil esse credit, sed quatuor partes orationis facit, exordium, narrationem, confirmationem, perorationem: & in singulis hisce partibus artes inuentionis maximas commentatur. Nescit igitur Aristoteles methodi doctrinam, nescit vsum. Deus bone! vereor ne tantæ rerum tenebræ perinde percipiantur ab alijs, atque animo peruideo: dico enim hanc orationis partitionẽ vitiosissimam esse, & quia veræ partes orationis nullæ hîc ostendantur, & quia tota ars incredibili confusione his partibus inuoluatur. Atque primùm de ve-*

ris partibus dicamus, vt falsæ cognoscantur. Orationis partes dico esse, inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, actionem, si placet istas artis partes esse: quamobrem? quia opus cuiuslibet artis ex omnibus eius partibus diuidendum & considerandum est: grammaticæ opus est sermo: cuius laudes, vt rectè diuidantur & considerentur, sanè spectanda est in singulis verbis etymologia, & prosodia si proferatur, orthographia si scribatur, in coniunctis, syntaxis: & totidem partes erunt operis, quot artis. Opus dialecticæ est disputatio: eius igitur virtutes ex inuentionis & dispositionis artibus diuidantur & examinentur necesse est: & totidem partes operis erunt, quot artis: nec verò quicquam differt ars ab artis opere, nisi vt caussa ab effectu: ars est facultas efficiendi: opus effectus ipse. Sic Aristoteles (qui tenebras istas tam multas vel peperit primus, vel certè auxit & confirmauit) docet analysim dialectici operis ab effectione, id est genesi, differre. Ponatur igitur fundamentum illud, & totus syllogismus concludatur:

Opus artis ex omnibus artis partibus diuidendum est & considerandum.
Oratio est opus artis, nempe rhetoricæ (vt tu ais)
Oratio igitur ex omnibus artis, id est, rhetoricæ partibus diuidenda est & considerãda.

Quare si diuidenda esset oratio iam facta, esset sanè ex artis tuæ quinque partibus diuidenda: & si facienda esset, eius partes ex partibus artis sumendæ essent, vt inuentio res suppeditaret, dispositio collocaret, elocutio ex-

ornaret, memoria comprehenderet, actio pronuntiaret. Atque hæc de veris partibus: Aristotelis partitionẽ & confusionẽ videamus. Etenim quid de grammatico sentias, qui cùm totam etymologiam singulorum vocabulorum, totam prosodiam, totam item orthographiam exposuerit, tum paret de collocatione coniunctorum & syntaxi formulas exponere: ac partiatur orationem duas in partes, nomen & verbum, & ad istas duas partes omnem illam etymologiæ, prosodiæ, orthographiæ doctrinam variè confusam reuocet: nulla syntaxis communia præcepta propriè declaret: quid de literatore isto iudicabis? quid etiam de dialectico dicas, qui cùm descriptas habeat inuentionis partes ex omnibus argumentorum generibus ac modis, polliceatur nobis syllogismi disciplinam & artem: túmque diuidat syllogismum tres in partes, Propositionẽ, Assumptionem, Complexionem, species eius nullas explicet, sed descriptas inuentionis artes ad illas syllogismi partes cum magna confusione referat: doceat & propositionum, & assumptionum, & complexionum inuentionem & copiam: quid de tali sophista senties? quid inquam, de tali & grammatico & dialectico statues? Tu verò, vt opinor, non doctorem, sed turbatorem vtrumque æstimabis. Constituatur igitur fundamentum illud disputationis nostræ,

Summæ confusionis est in vna artis parte alias partes antecedentes confundere, partis ipsius etiam artem nullam tradere.

At Aristoteles in vna artis parte alias partes

antecedentes cõfudit: eius ipsius partis nullam artem docuit.

Summæ igitur confusionis author fuit.

Agè verò assumptionem illam planam faciamus. Inuentionem rhetoricæ partem primã facit Aristoteles, falsò vt antea docui, quia dialecticæ propria est, sed tamen rhetoricæ partẽ facit, & eius multiplices artes primo artis vniuersæ loco conturbat in probationibus tum artificialibus & morũ, & affectuũ, & rationũ in locis & propriis caussarum, quæstionumq́, & cõmunibus exemplorum atque enthymematũ: tum inartificialibus: vt legum, testium, pactorũ, quæstionũ, iurisiurandi: tandem elocutione etiam prius confusa peruenit ad dispositionem, vbi de syllogismo, vt iam dixi, nil præcipit, nec syllogismum dispositionis esse suspicatur: nihil de methodo perspicuè tradit, id est, de dispositione nullam doctrinam interpretatur, sed obscura quadam, nec ipsi Aristoteli nota methodi specie partitionem orationis fabulatur in exordium, narrationem, confirmationem, perorationem: quibus in partibus incredibili caligine inuentionis artes antè iam contextas retexit ad exordium demonstratiuum, iudiciale, deliberatiuum: ad narrationem demonstratiuã, iudicialẽ, deliberatiuã: ad confirmationẽ demonstratiuam, deliberatiuã, iudicialẽ: & variis altercationũ sophismatis interpositis implicat: nullam dispositionis, vt dixi, doctrinam tradit. Vtinam mentes tam sapientes, quàm sensus, haberemus! Ædificanda domus fuerit, lapides è latumiis sint eruti, latomus idoneos

probauerit, reiecerit alienos: quid superest, nisi vt disponantur, & murus ac domus construatur? an non delirus architectus habeatur, si lapidibus inuētis & probatis, tanquam horū nihil actum sit, nos ad latumias remittat, nec lapidis cum lapide compositionem & cōiunctionem instituat? At Aristoteles hic delirus architectus est, latumias inuentionis totas effodit & exinaniuit: iudicium & delectum adhibuit: vtiles lapides selegit, inutiles reiecit, id est earum rerum artes proposuit & explicauit: ad structuram & dispositionem vbi peruenit: nihil ædificat, nihil construit, sed quasi adhuc nihil inuentū sit, nos ad latumias redire iubet, locos inuentionis pro dispositionis modis & regulis, nescio quomodo somnians rursum in falsis hisce partibus confundit. O philosophum specie ac nomine quàm veritate & virtute maiorem: Alexandrū Macedonem propter multas excellentis regis artes posteritas omnis iure meritóque miratur: at hunc philosophum, quia regis illius, credo, magister fuisset, plerique tanto sapientia reliquis omnibus superiorem crediderunt, quanto discipulus eius armis potentior extitisset. Sed res ipsa diligentius spectata, tenebras hominis & nugas demonstrat. Opus Rhetoricæ partitur ex vna dūtaxat eius parte: distributio enim orationis in exordium, narrationem, confirmationem, peroratione nem ex dispositione sola est, quæ ad tuum iudiciū (qui quinque facis eloquentiæ partes) vna de quinque partibus & sola est: & quidem ita partitur, vt de dispositione nihil præcipiat, sed inuentionem antè tradi-

tã pro dispositionis doctrina conturbet & confundat. Quamobrem mi Cicero, vt sæpe iam moneo, Græculũ hunc philosophum contemne ac despice: ac tam simpliciter ei credere desine: conturbauit dialecticã totam: conturbauit rhetoricam: mores multis sanctis monitis à Platone formatos, ipse quoque calumniis suis corrupit. In physicis multa malitiose, multa impiè deprauauit. Desine inquam hominis huius deliramentum, iudicium tuum appellare: ac ne dij Ciceroni tam vehementer offensi sint, vt ei tam imbecillum, tamq; infirmum iudiciũ donauerint. Sed de tertio partitionis tuæ membro dicamus, quomodo sit oratori dicendum: satis enim de duobus superioribus dictũ est, & quid, & quo loco diceretur: & quãtas Aristoteles illis partibus tenebras offuderit. Hîc quanti nos glires tibi vi demur? quãto, quámque alto somno sepulti? eodem dif ficultatis argumento quoties iam excitamur? quinto enim loco idem exordij argumẽtum repetitur. Rem dif ficilem dij immortales, atque omnium difficillimam (ais) Perge inquam, rem valde difficilem sentio: & te vehementer occupatum video. Memoriam hîc cõtemnis (hoc antea in partitionis imperfectione reprehendi) & quidem contemnis, quia sit ea communis artiũ multarum: quo argumento quid intelligas, sanè vix intelligo. Etenim si memoriæ vsum existimas communem esse multarum artium, vt hæc memoria teneãtur, libenter assentior: quinetiã de meo, si voles, addo omnium non modò artium, sed quarumuis aliarum rerũ, quæ in hominis sensum aut intelligẽtiam cadant, me-

moriam esse communem. At ista ratione fuit inuentio tibi & collocatio contemnenda, & deinceps elocutio & actio: quoniam omnium rerum pariter communes sunt. Sinautem multarum artium esse dicis de memoria præscripta quædã & formulas exprimere, id nullo modo concedam. Nam quicquid est artis, qua memoria possit adiuuari, ordo ac dispositio rerũ est, qua quid primum, quid secundum, quid tertium sit, animo cernamus. De locis autẽ & imaginibus, quæ vulgo dicuntur, valde sunt inepta, & à quibusdam artis magistris meritò derisa: quot enim imagines Philippicæ Demosthenis desiderabunt? ordinis porrò quoniam sola dialectica dispositio doctrina est, ab ea memoriæ præsidium aliquod & subsidium peti potest. Quare vt inuentionem & dispositionem, quod initio posui, sic memoriã illi arti verissime possis attribuere.

Modus dicendi elocutionẽ et actionẽ diuidentis 1. 3. 6.

Dicẽdi modus sequitur, quem partiris bifariam in elocutionem & actionem, laudo: de actione multa magnificè describis, quæ probo: actionem reijcis velut cõmunem, non laudo: has enim partes duas eloquentiæ proprias esse iudico. At, inquis, orator vna excellit elocutione, cætera in ea latere indicat nomen ipsum. Non enim inuentor aut compositor, aut actor hæc complexus est omnia, sed & Græcè ab eloquendo ἐρήτωρ, & Latinè eloquens dicitur. Bene sanè disputas, & peracutè moueris: ἐρήτωρ ἀπὸ τοῦ ἐρεῖν, & eloquens ab eloquendo dictus est, fateor: & elocutio, quia, vt ais, ἐρήτωρ complexus est hæc omnia: complectitur actionem, esto. Sed, mi Cicero, non vides

hoc argumentum totum à me esse? elocutio nomen generale est, & significat tropos & figuras, & totum dictionis ornatum: sed complectitur etiam actionem, vt ais, & quidem multo magis complectitur & significat, quàm dictionem ipsam: vt in Grãmatica cùm definitur ars ipsa doctrina rectè scribẽdi & rectè loquẽdi, loqui refertur ad vocem & prosodiam: vt scribere ad manum: ita rhetorica definiri potest doctrina bene scribendi & bene dicendi, vel orandi, vel eloquẽdi: & orare ac eloqui propriè ad pronuntiationẽ pertinere intelliguntur: sed vsu quodam etiam refertur eloqui ad troporũ & figurarum dictionẽ, vt elocutio hæc ipsa dictio iã dicatur. Quare, si vis, argumento tuo vtar, concludã pronuntiationẽ oratoris esse propriam.

Quod indicatur oratoris nomine, est oratoris proprium:

Pronuntiatio indicatur oratoris nomine.

hoc enim significat & orator, & eloquens, & ῥήτωρ.

Pronuntiatio igitur est oratoris propria.

Redeamus verò ad fundamentum illud summæ distinctionis initio positum: tres enim sunt artes, quas iam sæpius nomino, communes maxime, maximéque generales, Grãmatica, Rhetorica, & Dialectica: duæ priores sunt sermonis & linguæ: tertia rationis & prudẽtiæ: hæc cogitat & perpendit omnia: illæ cogitata purè & ornate pronuntiant: Grãmatica docet purè scribere, ac pro temporis ratione contendere, inclinare, inflectere syllabæ modum: Rhetorica docet ex tropis & figuris ornatè dicere: eadem non solùm graues, & acu-

tos, & inflexos sonos (quod à Grammatica didicerit) sed vt orator animum audientis moueri volet, ita certum tota oratione admouebit sonum: vt contenta voce atrociter, summissa leuiter, inflexa miserabiliter, inclinata grauiter & acerbè dicat: gestum corporis ac motum ad vocis modulationes & varietates accommodet: idque Rhetorica non vt commune, sed propriũ declarabit. At cum histrionibus, dices fortasse (nihil enim hîc dicis) illud est oratoribus commune, vel hîc nos potius illorum iuuamur & instruimur arte. Sic à Satyro Demosthenes, & tu (sicuti audiui) à Roscio, & Aesopo adiutus es. Ego verò hæc eò pertinere non statuo, vt quia histriones in pronuntiandi dignitate elaborarunt, & ab ijs oratores quidam adiuti sunt: idcirco ars pronuntiãdi, non sit oratorum, sed histrionum propria: de hominibus hæc dicuntur, non de artibus. Cùm Romæ esset auditum Hortensium esse dicturum, histriones eo conueniebant, vt ab eo gestus dignitatem & præstantiam discerent. Hoc modo igitur extorquebo vt histriones, oratorum discipuli esse videantur, non magistri. Artes ex sua natura, non ex hominum studiis metiendæ & æstimandæ sunt. Nemo inter artes liberales artem histrionicam numerat: attamen ex his duas grammaticam & rhetoricam fatemur esse sermonis nõ solùm texẽdi & ornandi, sed efferendi ac pronuntiandi. Quare quemadmodum dialectico inuentionem, dispositionem, memoriam merito assignamus, sic elocutionem & actionem oratori propriam relinquamus. Quod quidem nescio

quomodo velut aliud agentes apud te Crassus & Antonius indicant, cùm Antonius, qui ad ingenij prudentiam & constantiam inueniendi, disponẽdi, & recordandi propius accederet, hascetres partes oratorio secundo tractet & explicet: Crassus (cuius magnificẽtior esset oratio) reliquo sermone laudes elocutionis & actionis persequatur, vt quæ erant in oratoris nomine antè cõfusa, Dialectica & Rhetorica, partitione illa distinguerẽtur. Sed iam tertij mẽbri pars altera exponẽda est: vnica autem est elocutio, vnde promi possit orator, & nomen ipsum oratoris indicat solam elocutionem oratoris esse propriam, cætera in eo latere: quod tibi hactenus concedam, vt æstimentur in elocutione ita latere, vt animus in corpore: sic enim antea inuentionem, dispositionémque cum elocutione comparasti: non autem tanquam elocutionis splendore reliquarum partium dignitas obruatur: maior est enim inuentionis & dispositionis prudẽtia, quàm vt cũ sola eloquentia cõparetur: & paulò antè cõfirmabas multos infantes actionis dignitate, eloquentiæ fructũ tulisse: disertos verò deformitate agendi multos infantes habitos esse: vt non sine caussa tribuisset Demosthenes & primas & secũdas & tertias actioni. Non igitur maiores illæ nobilioréque partes latent in elocutione: sed elocutio cùm ab his & sensum & spiritũ hauserit, statum suum præclarè tuetur. Verùm multa genera facis elocutionis: philosophi verecundè dicunt & molliter: sophistæ suauiter & argutè: historici æquabiliter & fuse: poetæ numeris cùm sint astrictiores, reliquis ta-

men generibus dicendi licenter vtuntur & liberè: quæ omnia quidem orationis genera eloquentiæ propria sunt: cùm sôli rhetoricæ proprius omnis orationis ornatus concedatur. Quare quanuis in singulis non omnes dicendi laudes positæ sint, ea tamen sunt etiam oratoris: & similibus propositis argumentis similiter ac illi sunt locuti, perfectus orator diceret: nec hoc loco sicut antea de sophistis dictum est (quos hîc inutiliter cum oratore denuò comparasti) satis aptè facta est ista distinctio: sed tamen in his præclaris differentiis constituendis, quid attinet quæ sunt inuentionis, inculcare? Philosophi sedare malunt, quàm incitare, de placatis rebus ac minimè turbulentis docendi causa, non capiendi loquuntur: sic sophistis ais propositum esse non perturbare animos, sed placare potius: nec tam persuadere, quàm delectare. Itaque magis concinnas exquirunt sententias, quàm probabiles, à re sæpe discedunt, intexunt fabulas: sic de historia postremò loqueris: in qua & narratur ornatè & regio sæpe aut pugna describitur, interponuntur etiam sæpe conciones & hortationes: quid, inquam, hæc omnia, quæ non imprudenter effudisti, sed de industria palàm atque apertè collegisti, non elocutionis (de qua sola nunc disseris) propria sunt? nunquid inuentionis ea sunt omnia? quàm verò ridiculũ esset cùm de generibus diceres argumentorum, figurarum dißimilitudines interponere: tam hoc tempore ineptum iudicãdum est, cùm de differẽtijs præcipitur elocutionis, quæ sunt inuentionis admiscere. O te, M. Cicero, sapientẽ,

si Apollinem verißime tibi consulentem audire voluisses. Meministi enim quemadmodum tibi de tua laude sciscitanti respondérit, vt naturã potius ducẽ, quàm multorum opinionem sequerere. Ingenio prorsus admirabili, acerrimo iudicio natus eras: quibus bonis quoties liberè vti voluisti, Cicerone præstantiorem virum neminem vnquã iudicaui. At quo te simplex & credula de inertibus magistris opinio deduxerit, tam multa in primæ reprehensionis parte tertia peccata admonere te possunt. Partitio ipsa primùm si vera esset, tamen esset partis vnius omißione vitiosa, at falsas partes amplectitur, inuentionem & dispositionem, quas elocutione tum inferiores, tum superiores facis: easdémque oratori & tribuis & detrahis: falsam & inutilem quæstionum partitionem instituis: quid? quod affirmas quæstionis specialis nullam esse artem? quod argumentorum locos à communibus locis nescio quomodo distinguis? quod expers artis iudicium putas? quod egrederis toties? quod tam inutiliter, támque ridiculè idem proœmium repetis? quod elocutionẽ philosophorum, sophistarum, poetarum, historicorũ oratoris esse negas? Quare desine (quod toties iam moneo) iudiciũ tuum hîc iactare, nunquã mihi tui esse iudicij tantã egestatẽ persuaseris. Atque has tam duras, támque obscuras salebras præteruecti, nondum tamen oratorẽ vel oratoris speciem (nec enim facile est diuinare vtrum quæras) in Latio, in Græcia, in sophistarum scholis, in inuentione, dispositione, memoria, actione, elocutione philosophorum, sophistarum, poetarum, hi

ſtoricorũ reperimus. Ad id igitur quod poſtremò primæ reprehenſionis loco poſitum eſt, accedamus: in oratore tractando fortaſſe fœlicior es, quàm fueras in inueſtigando. Audiamus igitur quæ tua definitio ſit, quæ ex rebus adiunctis facta ſit exornatio. Non ſit inuentus orator tam multis in regionibus: an nuſquam tandem reperietur? Erit, ais, eloquens is, qui in foro, cauſiſq; ciuilibus ita dicet, vt probet, vt delectet, vt flectat. Rem nouam, dij immortales, miniméque omnium abs te in hac diſputatione ſperatam. Quid eſt Rhetorica, M. Tulli? nónne doctrina de omnibus rebus bene dicendi? nónne inuentionis, diſpoſitionis, elocutionis, memoriæ, actionis artes vel à te eloquentiæ nomine confuſæ, generales ſunt, & communes omniũ rerũ? quid eſt igitur de quo bene dici nõ poſſit? cur igitur in foro cauſiſq; ciuilibus potius, quàm omnino in omnibus locis atque rebus? Quanto melius in oratoryis ac verius græculos huius ſententiæ authores irriſiſti, qui in ciuiles & forenſes cauſſas oratorem detruderẽt ac compingerent? quanto conſtantius ibidem de vi oratoris ac poſſeßione docuiſti, vt de omni re quæcunque eſſet poſita, ab eo ornatè copioſeq; diceretur? At hîc oratorem in iudicia & conciunculas velut in vincula conijcis: illic nullis terminis circunſcribis, quominus liceat ei vagari quo velit. Agè verò tollatur forum, ne ſit iſta per diſertos vel eloquentes homines litigandi ratio, dicat pro ſe quiſque, patronum nõ adhibeat, nulla ſit ad populum dicendi poteſtas, Reſpublicæ regum aut tyrannorum dominatione teneantur, legibus à principe ſcriptis pareatur: quæ omnia & fa

cta sunt aliquando, & natura fert vt accidere in posterum queant: an eloquentia, quia locum abs te nusquam definitum obtineat, nullum prorsus obtinebit? langueſcet? peribit? At, inquies, cæteris omnibus in rebus non inficior eloquentiam posse versari: sed magis aßidue, & maiori cum laude in forensibus causis occupari dico. Teneo, inquã, sed tamen quî diuinare istud poteram, cùm verbis aliud exprimeres? At verò id falsum est: cùm sit aliquando tempus illud, quo nullã in foro laudem orator assequatur. Quare cogita istud quale est, quòd definitio tua non semper oratori conueniat. Reminiscere quæ antea de lege definiendi tradideris: ideas Platonis in memoriam redige, quas ille gigni negat, & ait semper esse: at id quod nobis definis, natum aliquando est, quia non semper fuit: nec esse istiusmodi necesse est, cùm possit accidere contrarium: atque hîc etiam dicam quod te admiraturũ arbitror: si compares reliqua omnia genera rerum, quæ possunt eloquentia tractari, cum forensibus & ciuilibus causis, dices Oceanum cum stilla muriæ esse comparatum: tot decreta disputantur in omnibus disciplinis infinitis voluminibus, tot historiæ, tot consolationes, tot epistolæ, tot legationes, tot explicationes rerum & disputationes, quæ quotidie accidunt, an eloquentiæ ornatum, an pronuntiationis gratiam non capiũt? Addis in ista definitione, ita dicet, vt probet, vt delectet, vt flectat. O cæcam & lubricam definitionis rationem: negasti antea inuentionem eloquentiæ esse propriam, & quiddam proprium longe perfectius simu-

lasti te cogitatione & animo complecti: at nunc quod antea repudiaras, repetis: & oratoris perfecti primam laudem facis, docere: Vnde porrò vis ista docendi emanat? an è luminibus & ornamentis elocutionis? nihil minus, sed tota inuentionis est: Vnde etiam & delectandi & mouendi reliquæ partes multò copiosius & abundantius oriuntur, quàm ex elocutione. Testẽ ignotum & peregrinum nullum proferam, teipsum tibimet opponam: in oratorio secũdo inuentioni non solùm fidem, sed delectationem & motum subiecisti: in partitionibus idem feci sti. Inuentio igitur quæ tibi antea non tã insignis ad oratoris laudẽ videbatur, quàm necessaria, eadẽ nunc omnium laudũ (quas habeat orator proprias) propemodum sola effectrix & mater videtur. Simillimè verò ac si pictor aliquis tibi tabulam eximiã polliceretur, negaret ex vllo colore vulgari futuram: non è nigro, non candido, non rubro, non viridi, non purpureo, non ceruleo: tandem cùm diu multúmque emptorem suspendisset: è quo tandem colore rogares, tabulam istam mirabilem cõficies: ex viridi respõderet & ceruleo: nónne meritò pictoris illius vanitatem & iactantiã irridendam & explodendam iudicares? at tu quid ais? talem oratorem fingam & informabo, qualis nunquam fuit: neque enim è Latinis, è Græcis oratoribus, è sophistis quisquam talis extitit: non est ista perfectio in inuentione, dispositione, memoria, actione, elocutione philosophorum, sophistarum, historicorum, poetarum: hic cùm expectationem nostrã tam longa, tamq; prolixa oratione suspenderis: si id

rogemus, vbinam igitur tanti oratoris virtus sita est? tum respondeas, in inuentione: vt tametsi non verbo, re tamen ac veritate vim mirabilis huius oratoris in inuentione positam esse fateare: quid enim? considera, qua ratione expectationem tantam, quantam promissione tanta, támque verbosa concitaueras, tandem tueare: cõsidera inquam, mi Cicero, Atticáne an Asiatica sit ista tanta & loquacitas & redundantia: definiendus erat initio tibi propositus orator apertè, breuiter, propriè: tu res obscurissimas intermisces & confusissimas, tu dimidiam partem operis & libri tui in ista definitione collocas: tu tãdem rebus & impropriis & alienis & falsis oratorem describis & explicas. Sequitur vt tribus officiis oratoriis tria dicendi genera (quæ iam dixi oratoris proprium nihil esse) accommodentur, subtile in docendo, mediocre in delectando, graue in flectendo. Quam generum varietatem splendidè sanè & magnificè describis, & verè sentis in agendis caussis adhibẽdam, vt initio dixi, nobis esse: quanuis enim Attici nostri de postremis leuiter (vt dixi) à te dissentiant, quòd auditorem verè & constãter doceri malint, quàm vlla vi inflammatæ orationis impelli ac turbari, tamen veritate victus, me ab illis nonnihil disiunxi, & ad tuam sententiam aggregaui: & quanuis hoc efficere ipse non possum, non id circo in te non laudandum existimo (quãuisque istam triplicem docendi, delectandi, mouendi virtutem cõmunem artium & virtutum multarum non rhetoricæ propriam iudico) tamen in actore caussarum sum-

Genera dicendi subtile in docendo, mediocre in delectando, graue in flectendo.

impelli ac turbari

mas & singulares esse laudes tecũ sentio: neque quicquam maius esse iudico. Quamobrem quòd existimas huic ipsi caußarum regi atque principi hoc instrumẽtum eße tam insigne, támque glorioſum, fateor & cõcedo: quòd autem oratori, id est vnius artis (vt antè tam acriter egi ac disputaui) homini, inficior planè ac pernego. Sed tamen tria dicendi genera proponis, eámque partitionem ex decoro deducis: cuius admonitio quid cuique opus sit, quid conueniat, quid deceat, tãetsi est in omnibus artibus, imò in omnibus dictis & factis necessaria, eius tamen consilium & doctrina (si decori consilium vllum, si doctrina est vlla propria) dialecticæ inuentionis dispositionisq; propria est. Hîc nos dormire adhuc arbitraris: Magnus (ais) est locus hîc Brute, quod te non fugit, & magnum volumen aliquod desiderat: magnus est locus, M. Tulli, fateor: neque tamen valde magnũ volumen desiderat. Vim eius infinitam quandam vides, artem tamen videris non satis intelligere. Nam antea dialecticæ separatim aliquid attigisti, cùm de genere, specie, definitione, partitione, veri falsiq; regula dictũ est: & postea de inuentione, iudicio, dispositione præcepisti, tanquam & hæc ab illis diuersa essent: idem sapientiam singulari quidem nomine, sed parum intelligẽter expresso nominas. Quid enim est sapientia hæc? philosophiáne de moribus? minimé: nam hîc cùm honestum verbo opor tere, & decorum verbo decere appellas: hæc separas & distinguis: idq; aliis etiã libris apertius facis. An prudentia est in rebus humanis, qualem in ethicis Aristo

Magnus est locus hîc Brute de Decoro in alio

Sapia

Prudẽtia

teles tuus definit? ne hoc quidem dici potest: nullus enim delectus bonorum & vtiliũ quæritur: aliud est decorum, quod quæritur: aliud bonum, aliud vtile: An philosophia de natura & rebus occultis? nequaquam. Neque enim est vllum in tota illa sapiẽtia verbum de decoro: quænam est igitur ista sapientia? Dialecticáne? hæc enim restat è tribus partibus sapientiæ: non ita videris existimare, cùm de dialectica dixeris antea, & dicturus postea sis, & tamen decori nullam mentionem vnà cum dialectica, nec antea feceris, nec facturus postea sis. Quamobrem vt veteres illi primiq; philosophi, cùm cælestium orbium constantes & ratos motus, cùm stellarum cursus & recursus certos & immutabiles animaduertissent, mirabilem quandam harum tot tantarúmque rerum effectricem vim esse crediderunt: quid tamen esset, ignorauerunt: sic tu cùm in poetis, in pictoribus, in histrionibus, in vita, in moribus, in omnibus dictis & factis minimis, & maximis admirabilem modi cuiusdam & decori rationem pro singulari tuo iudicio perspexeris, captus admiratione, & incensus velut exclamas, & sapientiam appellas: sed quid sit, qua ratione & via cognosci possit, non demonstras. At, mi Cicero, si qua (vt dixi) decori ars esse potest, dialectica est. Nam si decori rationem rhetoricæ artis esse putas, necesse est sanè vt referas ad aliquam earum partium, quas rhetoricæ tribuis: pronuntiationis autem, memoriæ, elocutionis non videtur esse proprium hoc decretũ: necesse est igitur inuentioni & dispositioni, id est dialecticæ (cuius hæ duæ partes

propriæ sunt) attribuas: dialectica inquam ista decori ars est, quæ quid sit quod deceat, an non deceat, rationes ostendit, iudicãdi regulas præbet: quod tu his verbis quoque indicas, cũ ais, Magni igitur iudicij, summæ etiã facultatis esse debebit moderator ille, & quasi temperator huius tripertitæ varietatis: nam & iudicabit quid cuique opus sit, & poterit, quocũque modo postulabit causa, dicere. Hæc tua verba sunt, quibus significas decorum esse iudicij, & decorum seruaturum esse, qui poterit iudicare quid cuique opus sit: ergo doctrina iudicij erit etiam decori doctrina. Hoc autem immensi usus esse cõfiteor, sed artis modicæ, & paucorum præceptorum esse dico, quæ dialecticæ & inuentionis & dispositionis institutis continentur. Ab hoc decoro ad genera dicendi peruenis: & è somno nos excitas. Magnum opus & arduum Brute, sed ingredientibus considerandum fuit, quid ageremus. Verùm perge, neque enim probare cuiquam potes, non modò ex academiæ spatijs, sed ne ex rhetorum quidem officinis hæc profecta esse, vt cùm vigilantem auditorem, & per se audiendi cupidum acceperis, toties sine causſa, & eodem, quod molestißimum est, argumento exagites: sexies enim iam repetitur. Si, me hercule, de Salamine, aut Marathone (qui rhetorum campi sunt) apud Gorgiam, aut Isocratem declamares, vix profectò quisquã tam molles delicias perferret: in artis autem absolutione describenda, vbi prudentia & diligentia partes omnes occupauit, iactantiæ & ostentationi nullũ locum reliquit, nos ineptias istas quomodo

vis perferamus? Sed tamen, vt dixi, perge: de generibus dicẽdi præcipis, de quibus antea præceperas, vt necesse nihil esset hæc eadem rursus inculcare: admisces in elocutionis generibus denuò quæ sunt inuentionis, de sententijs acutis, de salibus in genere subtili, de affectibus in graui: sed tamen ex omnibus tuis in hac quæstione peccatis hoc vnum maximum mihi visum est, quod cum in oratorijs dialogis de hoc ipso elocutionis decoro post expositas omnes oratoriæ supellectilis facultates abs te dicatur, nunc nondum descriptis ornamentorum generibus (id enim posteà facis) de delectu præscribis, & totam rem confundis: iudicium scilicet decorum atque aptum de rebus nondũ expositis atque explicatis facis. Exclamas, Tenemus, Brute, quem quærimus, quem nunquã vidit Antonius: quem, inquã? qui & humilia subtiliter, ais, & magna grauiter, & mediocria tẽperatè potest dicere: O præclarã & veram gratulationem: quasi non & illum initio inuentum tenuerimus, & ijsdem generum laudibus definitum: quasi verò eundem etiam nõ viderit Antonius, quem nunc vides: nõ eundem tenuerit, quem nunc tenes: & eloquentis definitio in eius libro nõ fuerit vel tua definitione melior. Quid enim Antonius apud te oratorio primo, cùm de duobus oratoris generibus mediocris & perfecti disputat, quomodo loquitur? Túmque ego, ait, hac eadem opinione adductus scripsi etiã illud quodam in libello, qui me imprudente & inuito excidit, & peruenit in manus hominum, disertos me cognosse nonnullos, eloquentem adhuc neminem.

Tenemus Brute quẽ quærimus, quẽ nunq̃ vidit Anto?

quòd eum statuebam disertum, qui posset satis acutè atque dilucidè apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere: eloquentem verò, qui mirabilius & magnificentius augere posset, atque ornare quæ vellet, omnésque omnium rerum quæ ad dicendum pertinerent, fonteis animo ac memoria cõtineret. Quid ista eloquentis, id est (vt ais) perfecti oratoris definitio, an non illum tuum caussarum actorem tam bellè demonstrat, quàm tua? viderat igitur Antonius oratorem tuum perfectum, vt tu vides, mente nempe atque animo: quia definierat tam bellè, quàm tu, effigiem & exemplum non viderat, neque tu, vt ais, quia nullum in Græcis, nullum in Latinis talem vnquam fuisse affirmas. Quid igitur gloriaris te tenere, quod ille non tenuerit? quam viam nobis aperis ad illius oratoris perfecti laudem, quam ille non viderit? Tum relaberis ad illum furorem poeticum: Obijcis enim tibi neminem oratorem talem vnquam fuisse, qualem definieris. Quid enim initio, nónne idem? At ego in summo oratore fingendo talem informabo (ais) qualis fortasse nemo fuit. Rationem porrò Platonicæ formæ eandem ad vtrunque locum accommodas, sic velut in mari fluctibus ad eos dẽ scopulos sæpius reijceris. Atque ita nobis oratorẽ definis falsa definitione, decori valde indecora, & generum dicendi prorsus aliena confusione. Atque hæc de oratoris definitione. Exornationẽ ipsam spectemus, in qua Dialectica, Ethica, Physica, iura, veteris memoriæ monumenta oratori subijciuntur: quamobrem? quia

sine his perfectus eße non potest: quid inquam? multò minus potest philosophus & historicus sine eloquentia perfectus esse. Quare eloquentiam philosophis & historicis ministram adiungamus: at eam dominam reliquarum artium constituis? quid ista quàm inconstanter dicantur, non vides? Vsum artiũ omnium communi quodam vinculo contineri sæpe iam propter istã tuam perpetuam confusionẽ, repeto: at præcepta separanda sunt. Redeamus ad Solonis legem: fines regamus, extra terminos ne excedamus: Si oleam plantaueris, nouem pedes relinquito: at tu rhetoricam hanc, si Palladi placet, oleam cùm plantes, iuxta philosophorum fundum, non modò pedem nullum intermedium relinquis, sed radicibus arboris totam philosophiæ regionẽ complecteris: an non iusto legum sacramento contendere, téque ex iure manu consertũ vocare meritò possim? At mirificum est in perfecti oratoris explicatione, toties eandem rem & temerè abs te perturbari: nullus erat in oratore definiendo, & suis omnibus numeris absoluendo proprius locus, vbi de dialectica dici posset, tu tamen pro singulari ingenio tuo tres inueniſti. Et quidem tot repetitiones iam à nobis hîc notatæ & animaduersæ, nunquámne persuadebũt iustam esse admonitionẽ meã, quòd in repetitionibus nimius sis? At fortasse ipse fallor, & potest eadem res sæpius sine reprehensione dici. Verùm enimuero attende quid hîc tibi respondeam. Nosti quæ Solonis in condẽdis legibus prudentia fuerit, & quàm omnium gentiũ iudicio comprobata? hic autẽ thesmothetas constituit, qui quot-

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA POZNAŃ

annis leges ciuitatis legerent, & accuratè perpenderent, ac si duas de re eadem reperirent, deteriorem abrogarent, conseruarent meliorem: præcepta autem artium, vt verissimè summus author Plato confirmat, leges sunt: quare vna de re vnicã duntaxat legẽ teneamus. Vides quomodo concludam: non veto quin puer qui discere velit, idem præceptũ legat, repetátque decies, donec mente memoriáque complectatur: imò verò omni exercitatione consequatur. Sed te accuso, quòd eandem rem tam sæpe præscribas, quæ semel præscripta maiorem, & omnibus modis clariorem vtilitatẽ adferret. Vtilitas enim illa præcepti frequẽtius iterandi, non percipitur dictando, sed legendo, audiendo, exercendo: quod vnico præcepto posito melius fieri potest, quàm si millies idem mille diuersis locis cõfunderetur. Attamen cùm nobis dialecticam tradas, qua ratione à rhetorica seiungis? Facile verò fuit veris finibus & terminis separare, quia rhetorica est ornatè dicendi, quod elocutione fit, & actione: dialectica est ars sapienter disserendi, quod inuentione rerum fit, & dispositione: tu verò quomodo distinguis? Dialectica est eloquentia contracta, Rhetorica quædam est dilatata dialectica: sic Zeno, sic Aristoteles philosophi senserunt. Zeno quidem (ais) ille à quo disciplina Stoicorũ est, manu demõstrare solebat, quid inter has artes interesset: nam cum compressérat digitos, pugnúmque fecerat, dialecticam aiebat eiusmodi esse: cùm autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius similem eloquẽtiam esse dicebat. Atque etiã ante hunc

Aristoteles principio artis rhetoricæ dicit illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticæ: vt hoc videlicet differant inter se, quòd hæc ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior. Quod de hominibus discrimen, non de artibus ipsis est inuentũ: qui in scholis tenuiter & succinctè de re proposita disserebãt dialectici, qui in foro res ciuiles copiosius & vberius tractarent, oratores sunt appellati. Et hoc Aristotelis somnium est, qui syllogismos dialecticis, enthymemata oratoribus attribuit: somnium inquam: non enim obseruatum ex vero & naturali vsu documẽtum. Sunt enim in Demosthenis & Ciceronis orationibus syllogismi frequentiores & absolutius concluſi, quàm in spinetis & sophismatis Aristotelis: vnde constat hominẽ hunc effudisse nobis quod somniasset, non explicasse quod obseruasset. Hoc commentum arripuit Zeno: ætate enim paulò inferior fuit: & cùm tam ieiunus & aridus esset, omníque eloquentia tam nudus, ausus est tamẽ de rhetorica etiam cum Aristotele fabulari & argutari. Attamen istorum hominũ scholasticam & commentitiam opinionẽ iudicium tuum audes appellare & postulare, vt quantum de hac fatuitate, tantum de ingenij, de eloquentiæ tuæ fama detrahatur. At Deum immortalem, spectemus potius in artium veritate, subtilitate, & perfectione inuestiganda, quid res ipsa ac natura desideret, quò progrediatur, quàm quales, & quibus nominibus artifices vulgo sint nominati: redeamus non solùm ad Platonis (quas tam mirificè amplecteris) ideas: vt perpetuũ aliquid

& immortale, nihil caducum quæramus: sed etiam ad Solonis legem, ad fines artium redeamus. Propriũ aliquid efficiamus: Vnus est in hominis natura senatus, Vnum consilium, ratio est: cuius explicationẽ & doctrinam Dialectica sibi Vendicat: duo sunt in Vestibulo curiæ præcones, ad ea quæ senatus decreuerit proferenda atque enuntianda, sermonis puritas, quã sibi Grammatica declarandam sumit: orationis ornatus, cuius artem sibi Rhetorica tribuit. Consideremus igitur, omissis opinionibus (quæ tam sæpe fallũt) quàm latè pateat Vsus rationis, an aliquis sit orationi locus, Vbi nullus sit rationi: nullum sanè reperiemus. Quicquid enim dicitur, id ratione recta, aut captiosa, prudenti, aut stulta conficitur: in poemate, epistola, oratione, altercatione, sermone sit, nihil interest, ratio est: sic quacunque de re ornatè dicitur, res aliorum sit studiorum, ornatus tamen est rhetoricæ proprius: sit Rhetorica suis contenta legitimis ac propriis finibus, suas sibi res Dialectica habeat, latius sanè dialecticæ Vagari, quàm rhetoricæ licebit, quando nihil dicitur sine ratione, id est, Dialecticæ: sine exornatione, id est, rhetorica, plurima dicuntur. Et sanè de tribus artibus communibus Grammatica, Rhetorica, Dialectica, angustissima est Rhetorica: sermo enim purus esse potest facilius sine ornatu, quàm sine puritate ornatus, & Vtroque carere potest disputatio, quia mente fieri & exerceri sine Vllo sermonis vel orationis commercio potest, Vt Dialectica latissimè omniũ pateat, tum Grammatica proximè sequatur, postrema sit Rhetorica. Quare Zenonis manum nihil pertimescamus,

neque enim tam firma est, vt quenquam feriat, cùm seipsam tueri non possit: Nec Aristotelis vicinia sine caussa amemus, quæ ficta, quæ falsa, quæ nulla est. Quid dialecticæ præcepta quæ tradis, vel potius quæ tradit Aristoteles (hæc enim eius ferè sunt omnia) qualia sunt? duplicẽ habent docendi viam, ais: inuentionem (opinor) & iudicium significas: tametsi id parum perspicuè explicas: imò verò mirabiliter totum confundis, cùm de Dialectica sic loqueris, vt videat genera verborũ, & distinguat, & verum, falsúmque iudicet, & ambigua diuidat & definiat, & partiatur: falsa misces, posteriora præponis, postponis priora: idem tuo more iteras & repetis. Primùm enim quale est quod iubes, vt genera verborum & singulorũ & copulatorum in Dialectica videantur? Hoc enim Dialecticæ nihil est, vocabulorum singulorum significationes, aut genera, quæ sunt, exponere, nullius omnino est artis, aut disciplinæ proprium. Artes singulæ (si quæ fortè recõdita & obscura habeant) vocabula sua definiunt & explicant: omnium in vniuersum vocabulorũ genera & species declarare, artis nullius est: quid amor Latinè, quid Græcè φιλία, quid Francorum lingua (amour) & innumerabilia eiusmodi communia rerum vocabula significent, nulla ars docet. Hæc perceptio est consuetudinis, nutricis, auditionis, lectionis: artis non est. Artes verò communes sunt omnium tẽporum, omnium hominum, omnium linguarũ: nec vlla est quæ doceat vim, naturam, genera verborum. Grammatica non docet vocabulorum significationes,

f.i.

ſed etymologiã, ſyntaxim, proſodiam, orthographiã: multò minus rhetorica: minimè verò omnium Dialectica, quæ tota rationis eſt & mentis, vt ſæpe iam dico, orationis nullam curam habet: nec iſtud ad inuẽtionem aut diſpoſitionem rerum, quæ ſolæ Dialecticæ partes ſunt, quicquam attinet: copulatorũ autem explicatio quæ indicent orationes, quæ optent, quæ imperent, grammatici ſuo iure docent: ab illis ea cognita ad Dialecticã adferri debent. Vſus varius eſt: ſiue enim purè loqui, ſiue ornatè dicere, ſiue diſputare ſubtiliter, ſiue de numeris & lineamentis aliquid explicare velis, vna grammaticorum doctrina in verborum ſimplicium etymologia, in coniunctorum ſyntaxi ad omnes illos vſus ſatis ſupérque fuerit: nec ſi grammaticæ varius ſit vſus, ideo neceſſe eſt tam varias grammaticas artes deſcribi. Tyberis vnus eſt (vt dixi antea) quamuis multiplex & varius eſt vſus: alioqui in ethicis, in phyſicis, in mathematicis ſingulis grammaticæ præceptiones inſtituendæ erunt: Ariſtotelis error hic fuit, ſicut antea iam tam multi, qui quicquid neceſſarium vel vtile putauit, in dialecticis & aliis artibus temerè confudit: non conſiderauit proprium eſſet, an alienũ. Categorias ad eam rem putatur à quibuſdam ſuis ſcripſiſſe. Denique, Dialectica, vt dixi, tota ratio eſt, ſermonis & orationis in ſuis præceptis nihil habere debet. Quid verò eſt quod de iudicio primùm, tũ de inuẽtione præcipis? quis hic ordo eſt? quid eſt quod eodem loco vix duobus verſibus interpoſitis idem repetis? Nouerit (ais) quot modis quidque dica-

tur: tum deinde paulo pòst, Cúmque ambiguè multa dicantur, quomodo quidque eorum diuidi explanarique oporteat. At, mi Cicero, Dialectica rectè descripta ex inuentionis & dispositionis partibus nihil habet ad ambiguas res distinguẽdum præcipuè accommodatum: tota Dialectica huc referri & accõmodari potest: commentum est Aristotelis tam multa de ambiguorũ distinctione in logico organo (quod ab Aristoteleis dicitur) fabulantis, nec artẽ sanè intelligẽtis, qua possunt ambigua distingui: tota enim dialectica ambigui distinguendi ars illa est, nil dialecticæ separatum. Quare, cùm videas quantam Aristoteli gratiam debeas, à quo tam multas, támque ridiculas nugas acceperis, caue ne Aristotelis tam lubricum commẽtum iudiciũ tuũ esse prædices. Verùm hæc missa faciamus: ad alia veniamus. Oratorem philosophia, legibus, historiis instructum, ad rhetoricam reuocas de generibus quæstionum: quod totum & falsum & inutiliter præcipi antea docui: nihil enim ad vsum inuẽtionis & dispositionis (quæ solæ sunt ad rem disceptandum partes) quæstionum legalium, rationalium, generalium specium; horum genera spectãt: satis enim est id de quo agitur per se spectari, an legalis, an rationalis appelletur ea quæstio: nihil ad artis vsum. Incidis quarto loco in inuentionem argumentorum, nec tamen animaduertis in tam confusis erroribus te versari: dispositionem & elocutionem nouo nomine appellas tractationẽ, quæ doceat quo ordine, & quomodo singula tractanda sunt. At nimium peruicax iandiu fortasse videor, qui do-

ctrinæ perfectionem quandam, & accuratam descriptionem abs te requiro, cùm id tibi minimè propositũ fuerit, audio inquam, & multis iam antea locis, id te toties dicere ṽalde miratus sum: ṽnde sunt illæ callidæ cautiones. Nulla præcepta ponemus, neque enim id suscepimus, sed excellentis eloquentiæ speciem & formam adũbrabimus, nec quibus rebus ea paretur, exponemus, sed qualis nobis esse ṽideatur. Item, de quo plura dicerem, si præcipiendi tempus eßet. Item illud, tamen quod ante diximus, meminerimus, nihil nos præcipiendi causſa esse dicturos, atque ita potius acturos, ṽt existimatores ṽideamur loqui, non magistri. Item, quando autem, aut quomodo id faciat, nihil ad hoc tempus, quoniam, ṽt suprà dixi, iudicem me esse, non doctorem ṽolo. Item, quoniam autem non quem docea quæro, sed quem probem. Hæ sunt aduersus reprehensionis metum præclaræ defensiones cõparatæ: Reprehendo confusa in hoc libro esse omnia, multa falsa, multa aliena: quid tum? non est mihi (ais) constitutum præcepta ponere. Conturbet igitur Ciceronis orator omnia, comminiscatur, fallat, imponat, nihil ad rem: non enim ṽult oratorem docere, sed probare: Magna quidẽ te M. Tulli, & acerba contumelia iamdiu afficere ṽidear, si ratio ista contra me ṽaleat. At mihi ṽideor hanc astutiam ṽeteratoriam (qua te iudicibus te nebras offundere, etiam aliquando gloriari soles) deprehẽdisse. Quid enim habet ista cõtra tam multa peccata defensio? non doctorem me, sed iudicem æstimari ṽolo: nec formulas exprimere, sed excellentis eloquen-

tiæ ſpeciem adumbrare. Agè verò, ſi te duntaxat interrogem: An excellens grammaticus, perfectus dialecticus, ſine natura, arte, exercitatione poſſit exiſtere? negabis, opinor, cùm alibi doceas, quod à Platone antè didiciſti, omnes artifices hiſce virtutibus perfici: itémque ſi requiram ad exprimendam grãmatici, aut dialectici præſtantiam, quid deſcribendum ſit, artem dices, quoniã & naturæ vires imitetur, & ad vſum viam paret: poſtremò ſi illud etiam percuncter, nónne quanto artis vis perfectius & excellẽtius expreſſa fuerit, tanto artificem præſtantiorem eſſe demonſtratum putes? tantóque perfectius oratorem expreſſum, quãto pingetur oratoris ars abſolutius? Cauſſæ perfecti oratoris ſunt, Natura, ars, exercitatio: harum omnium rerum pictura communis eſt. Qui volet igitur oratorem perfectum perfectè demonſtrare, perfectas cauſſas illas exprimat neceſſe eſt. Nihil hîc cõmentis opus eſt, res ipſa patet: ſi inquam hæc duntaxat ita contra te dicerem, tamen obtinerem & conuincerem, vt quæſtioni ſuſceptæ ſatisfaceres, artem oratoris, & facultatem abſolutiſſime tibi deſcribendam eſſe: veruntamẽ non ſolùm arguo te veras artis & perfectas vias aſpernatum, ſed falſas & contrarias ſequutum conuinco: non dico te tantum multas explanationes neceſſarias omiſiſſe, ſed præceptiones irridendas & explodendas tradidiſſe. Quare nihil iſta cautio tam aſtuta, toties repetita tueri te poteſt, quin dependendum tibi ſit, qui tãta aſſeueratione pro oratore perfecto ſpopondiſti: præſertim cùm poſtea ſuperiores illas cautiones tu ipſe

damnaueris, cùm te excusasti, quòd tantus vir te artificio dicendi literis tam multa mandares: Si profitear, ais: quod vtinam possem, me studiosis dicẽdi præcepta & quasi vias, quæ ad eloquentiam ferrent, traditurum, quis tandem id iustus rerum æstimator reprehenderet? ac paulò pòst, Atque haud scio (ais) an plerique nostrorum oratorum ingenio plus valuerint, q̃ doctrina: itaque illi dicere melius, quàm præcipere: nos contrà fortasse possumus. Hîc non modò confirmas quæ negaueras antea, verũetiam tibi laudi ducis. Sed ad ora-

Θέσιν, ἀύξησιν, περιβολὴν, ἀφαίρεσιν, ἀντίθεσιν, ἀνάπαλιν.

torum exornationem redeamus, cui tu postremò θέσιν, αὔξησιν, περιβολὴν, ἀφαίρεσιν attribuis: eáque mirabilia in oratore esse existimas. Quod quidem, vt verũ esse fateor, ita longè à te in earum rerum præceptis dissentio. Nam & loci cõmunes & amplificationes, & affectus tum leuiores, tum grauiores ex iisdem fontibus hauriuntur: vna inuentio & argumentorum explicatio est omnibus communis hisce rebus perficiendis, apta, idonea, seipsa contenta: adiuuant etiam elocutionis ornamenta, sed & inuentionis & dispositionis generalia præcepta hæc omnia suppeditant. Fecerunt ridiculè, & ineptè magistri (quos modò sequeris) qui nobis istarum rerum nescio quas præceptiuncu-

Gloriatio.

las excogitarunt. At, mi Cicero, in tam lõginqui erroris tui fine tandem quid agis? ac cùm de affectibus loqueris, quonã ipse affectu raperis ac turbaris, vt magno probitatis & constantiæ tuæ periculo te oratorem tam glorioſum nobis ostendas? Credidi antea tot egressiones, tot repetitiones Asiaticorum rhetorum mores

esse: Dialecticæ tã multas tenebras ab Aristotele profectas disputaui: at hæc postrema quomodo magistrorũ esse dicã? qua ratione reiciã ac transferã? nihil hîc de ornatu orationis tuæ, nihil de verborũ aut singulorum elegantia & puritate, aut coniunctorũ lumine atque splẽdore tibi detraho: omnia illa superiora in te esse confitemur, q̃ non dico sperare, sed optare vix audeamus: nullã tamen egressionẽ immodicã, nullam repetitionẽ molestã coarguo, sed miserũ nescio quod fatũ tuũ miseror ac deploro: quo plurimæ alioqui & præclarissimæ virtutes tuæ obscurãtur. Quid enim, vnde est ista iactatio? Nobis, ais, pro familiari reo summus orator, non respondit Hortensius: at id non vi orationis tuæ, sed calliditatis nouo quodam genere perfectum esse sæpe ex te & alijs audiui: omissa enim gloriosa ista eloquentia productis in medium testibus, probatísque coegisti iudices de reo sententiam ferre. A nobis homo audacissimus Catilina in senatu accusatus, obmutuit, ais. At verò, sicut historiæ loquuntur, nõ modò tibi respondit, sed vniuerso senatui grauiter & acerbè respondit. Nobis priuata in caussa magna & graui, cũ cœpisset pater Curio respõdere, subitò assedit, cùm sibi venenis ereptam memoriam diceret. Verùm in sermone de claris oratoribus ad me nuper scripto aliter multò loqueris: (ais enim) Curio memoria ita fuit nulla, vt cùm aliquoties tria proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quæreret: qui in iudicio priuato vel maximo, cùm ego pro Ticinia Cottæ peroraßem: ille cõtra me pro Seruio Næuio diceret, subitò totam causßam

oblitus est, idque veneficijs & cantionibus Ticiniæ factum esse dicebat: vbi verè illius vitio attribuis, quod nunc falsa laude tibi sumis. Quamobrem non iam te à magistrorum tuorum vitijs reuoco, sed de insolenti gloriatione familiariter admoneo. Hæc de se prædicatio, mi Cicero, etiam in veris rebus verecunda debet esse, vt erubescere etiam deceat, cùm in os laudamur: hinc graues ciuium nostrorum offensiones aduersus te & simultates extiterunt, non quidem vllo tuo turpi, aut inhonesto facto, sed quòd assiduis laudibus res tuas gestas tam vehementer extolleres. Habet porrò hominis natura superbum quendam & elatum sensum, vt cedentes & summittentes se libenter tanquã superior alleuet: cõtrà verò supra modum glorioſis & insolentibus quasi tyrannidem & intolerandam potentiam affectantibus resistit, inuidet, maleuult. Itaque propter illos magnificos versus,

O fortunatam natam me consule Romam. Item,
Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

& cætera præconia tua, quòd te Minerua omnes artes edocuerit, Iuppiter optimus maximus in conciliũ deorum admiserit, Italia exulem humeris suis reportarit, meministi quanti fluctus inuidiæ in te concitati sint, atque illa tamen maiore de caussa dicebantur, hæc autem tam falsa, tam à te ipso secus testata quorsum euadant, non attentius considerabis? Plerique oratores Romæ hoc in te vitium reprehendunt, quòd te insolenter efferas: hoc admoneo, & exempla tibi tua ante oculos subijcio. Reminiscere verò quæ sunt apud te quinta

schola Tusculana de Demosthene. Leuiculus (ais) sanè noster Demosthenes, qui illo susurro se delectari dicebat, aquam ferentis mulierculæ (vt mos in Græcia est) insusurrantísque alteri, Hic est ille Demosthenes: quid hoc leuius? At quantus orator? sed apud alios loqui videlicet didicerat: non multum ipse secum. Hæc tua verba sunt, quæ vtinam in animo tuo infixa penitus insedissent, esses tu quidem forsan orator non melior, nec princeps sapientior: sed certè magna inuidia solutior & liberior. Veruntamen nunc quid agis? Videris omnia conturbasse in falsa definitione oratoris, in decori, in generum, in omniũ artium perturbatione, vt tenebris tam multis impediti, & minus ad iudicandum attenti, Ciceronem perfectum illum (quem nunquam viderat Antonius, quémque exprimere vix Deo concessum esse dicebat) perfectum inquã illum, & omni laude cumulatum oratorem esse putaremus. Perfectus est orator, qui potest parua summisse, modica temperatè, magna grauiter dicere. Ad conclusionis huius assumptionem (quia putidiuscula videretur) fucati medicamẽta scilicet pudoris & ruboris infarciuntur: nulla laus est (ais) oratoris, cuius in nostris orationibus non sit aliqua si non perfectio, at conatus & adumbratio: nõ assequimur: ad quid deceat, videmus: nec enim nunc de nobis, sed de re dicimus: in quo tantum abest, vt nostra miremur, vt vsque eo difficiles ac morosi simus, vt non satisfaciat ipse Demosthenes. Et paulò pòst vides profectò illum multa perficere, nos multa conari, illum posse, nos velle quocunque modo caussa po-

ſtulet, dicere. Hæc tua remedia ſunt (vt dixi) aduerſus aſſumptionis odioſam & inſolentem iactantiam. Quid enim ex illo propoſitionis initio,

Perfectus eſt orator, qui poteſt parua ſummiſſe, mediocria moderatè, magna grauiter dicere.

quid inquam inde ſumitur,

Cicero hæc omnia poteſt.

dixit pro Cecinna ſubtiliter, in lege Manilia temperatè, pro Rabirio grauiter: hæc eadem interdum temperauit & variauit, vt in ſeptẽ accuſationis libris, in Cornelij, in Habiti, in pleriſque alijs orationibus: imò verò primus ieiunas huius multiplicis orationis aures ciuitatis accepit: primus ad hoc genus dicẽdi, incredibilia audiendi ſtudia conuertit. Philoſophiam totam tenuit, imò ab ea tantus orator eſt effectus, leges, hiſtorias, rhetorum præcepta didicit, θέσιν, & ἀνάκρισιν quoties vult arripit, affectus ardentiores nullus vnquam mouit. Itaque ſæpe aduerſarios de omni ſtatu deiecit, nihil reſpondit Hortenſius, Catilina obmutuit, Curio metu memoriã amiſit. Cõcludamus, aut ſi nequeamus, à Diogene minam repetamus: eſt enim cõplexio manifeſta huiuſmodi antecedẽtibus probatis.

Perfectus orator eſt, qui poteſt parua ſummiſſe, mediocria temperatè, magna grauiter dicere.

Cicero hæc omnia copioſiſſimè præſtat:

Cicero eſt igitur perfectus orator.

Siccine nobis oratorem nomine tuo tandem, tam alienis, tam ſuppoſititijs, tam tranſlatitijs ornamentis inſtruis, vt te ſuſpiciamus & admiremur? vtinam, M.

Tulli, veram illam definiendi oratoris viam potius tenuisses: oratoremq; elocutionis & actionis laude praestantem declarasses: in tenebras tam multas nunquam incidisses, & omnium consensu perfectam eloquentiæ palmam tulisses: omnes enim tibi incredibilem troporum venustatem, & figurarum splendorem, & pronuntiationis vel in voce constantiam & varietatem, vel in gestu gratiam atque dignitatem, id est, absolutam eloquentiæ laudem largiuntur. Vtinam tenebricosas Aristotelis & aliorum magistrorum ineptias vitare potuisses, quanto, Deum immortalẽ, maiorem veriorémque gloriam consecutus esses? nullum est vel in Græcia, vel in Italia tribunal, nullum in vllo populo forum, vbi audeas isto modo, vel de regũdis agellorum finibus agere, quomodo in artis liberalis quæstione de finibus oratoris egisti. Dixeris enim, Suscepi, Iudices, rem tantam, quantã non modò facultate consequi difficile sit, sed cogitatione cõplecti: fingam vobis & informabo agrum tam perfectum, vt ei nihil addi possit, tum ad cohortationes digrediare, & disputes de genere viæ ad agrum, & hoc multis verbis excuses: deinde, Inuestigemus igitur agrum, Iudices, qualem nemo vidit vnquam. Is terminos tres habet, quibus clauditur, aureum, argenteum, ferreum. Non est autem hic ager in Italia, non est in Græcia, non est in vlla mediterranei maris insula, non est in Syria, non est in Ponto, nõ est in Cappadocia: vbi igitur est? Est, Iudices, in Phrygia: nec in omnibus tamen Phrygiæ partibus, sed vbi quondam regia Priami fuerat.

Disputat ꝛ cũ de oratore tñs ex ad disputandum agrũ inutilẽ.

quis est igitur hic ager? quibus finibus & terminis clauditur? tribus, Iudices, aureo, argenteo, ferreo: & tum diceres quanuis non esset hic ager, Iudices, in illis suprà memoratis regionibus, tamen omnes eas regiones hic vnus ager intra fines ac terminos suos complexus est. Quis tam delirus vnquã sedit iudex, qui te isto modo orantẽ pateretur? Redi verò nunc iam ab illis agri finibus ad oratoris regundos fines: confice summam oratoriæ inuestigationis tuæ: cogita quàm magnificè definieris, quàm acutè, quàm sapienter, quàm verè, quàm cõstanter, tum tibi nil opus erit admonitore M. Bruto, tu tibi iudex idoneus eris. Et quidem si ad Aristotelem oculos, mentémque conuerteris, reperies ab eo magistro hanc quoque instituẽdæ artis vanitatẽ profectam esse: sic enim consueuit artes docere, vt omnes omnium generum tricas & apinas colligat. Inuentio dialectica decem locis tota cõtinetur & explicatur, caussis, factis, subiectis, adiunctis, dissentaneis, comparatis, nominibus, tributionibus, finitionibus, testimoniis. Aristoteles vt ista paucula genera non declararet, sed obrueret: categorias, copias propositionum, & inuentionem medij, analytica posteriora, topica octo infinitis sophismatum tenebris compleuit: dispositio dialectica syllogismi & methodi breui & succincta doctrina cõprehenditur: Aristoteles vt de syllogismis coniunctis, de methodo taceret, syllogismos simplices obscuraret, incredibilem sophisticorum deliramentorum caliginem vnum in locum congregauit: idem in physicis vt naturam definiret non ex caussis, quæ vera

Dialectica Aristotelis operibus antruc.

Physica Aristotelis operibus

& legitima definitio esset, sed ex effectis, principiũ motus & quietis (quæ etiam definitio formæ propria magis esset, quàm rei naturalis in vniuersum) vt inquam hanc definitionem ita conficeret, octo libros auscultationis physicæ omnibus sophismatis & nugis cõplendos sibi putauit. Itaque quia in illa definitione futurum erat primum verbum (principium) totus liber primus in altercatione de principijs contra veteres philosophos, non in solida vlla scientia consumitur. Secundus liber, qui definitionem illam egregiam habet, quia secundum definitionis verbum erat (causſa,) totus in causſarum disputatione consumitur: cùm tamen explicatio causſarum sicut argumentorum omniũ propria esset dialecticæ, physicæ nihil haberet. Tertius liber, quia tertiũ in illa definitione verbũ (motus) erat, ac deinceps quinque reliqui in scholasticis & captiosis sophismatis de motu, déque motus leuissimis circũstantijs, infinito, vacuo, loco, tempore penitus versantur: ita libros octo conscripsit Aristoteles, vt doceret naturam esse principium motus & quietis: item quid motus, & quotuplex: naturæ autem ipsius nulla genera, nullas species explicaret: tam fœcundum in nugis Aristotelis ingenium fuit. Faceret idem grammaticus in prima definitione artis suæ: idem arithmeticus, idem geometra, antequam ad genera & species & partes accederet, quis amentiam ferendam putaret? At nos in Aristotele tamen toleramus: & pulchrum (credo) etiã arbitramur eius ineptias imitari: definiẽdus tibi fuerat orator peritus bene dicẽdi: id ne facis quidem:

sed vt falsam definitionem ponas, cælum, terrámque, vt poeticè loquar, misces & conturbas. Quamobrem, si cogitabis non solùm tot, tantarúmque rerum in hac oratoris inquirenda finitione confusárum, sed ipsius vniuersæ confusionis Aristotelem tibi magistrum atque authorem fuisse, æstimabis quantam illi gratiã debeas. Hactenus de oratoris inuestigatione & exornatione tibi respondimus: quod erat primæ partitionis nostræ membrum primum: secundum, & vltimũ in elocutione versatur: quam partem cùm oratori solam & propriam reliquisses, inuentionem, dispositionem, memoriam, actionem, communes fecisses, præ cæteris exornare debuisti, hîc te ostentare, hîc oratorias facultates exercere, hîc iactationem gloriosam habere, & cursum prædicabilem tenere potuisti: hic campus, hæc palæstra concessu omnium dabatur ad omnes oratoriæ supellectilis opes explicãdum & propalam collocandum. Atque vtinam potius istã laudem adamasses: quam veram, quámque singularem artem haberemus? quam diuinam oratoris speciem, formámque expressam teneremus? At omnẽ sanè elocutionis doctrinam ita contempsisti, vt non explicare docẽdo, sed omnia confundendo, ac conturbando perdere voluisse videaris: neque enim audio, quod ais, Cùm hæc tu optime Brute teneas, quid attinet nominibus vel exemplis vti? tantũmodo notetur locus. Quid ergo? an me solũ hæc lecturum putasti? an potius (vt ipse ais) ad alios si minus nostro nomine, tua tamen commendatione peruentura speraſti? Quare his etiam lectoribus, qui mi-

nus ista quàm nos, nota habeant, prospici oportuit & prouideri. At in toto libro, vt dixi, nihil cõtemptius, nihil abiectius, nihil negligentius est expositum. Elocutio definienda fuit orationis à vulgari consuetudine ad elegantiorem quendam modum mutatio: nihil definis: distribuenda fuerat in tropum & figuram, quia mutatio illa singulorum verborum est, aut coniunctorum: illic autem tropus, hîc figura dicitur: nihil partiris. Tropus definiẽdus erat elocutio in singulis verbis, qua significatio à proprio loco in aliũ mutatur, & distribuẽdus in Metonymiam, Ironiã, Metaphoram, Synecdochen, quia omnis simplicis verbi significatio quatuor illis generibus continetur: nihil definis, nihil partiris: de generibus troporum vnicam metaphorã attingis, hoc ipso loco, quo tibi fuerãt species omnes accuratè describendæ: reliqua genera, ais ex collocatione verborũ sumi: qua, quæso, ratione? an quia idem in oratorio tertio tibi placuerat error? sic enim ornatũ orationis partiris, & in hoc libro, & in oratoriis dialogis, vt sit in singulis verbis, & coniunctis: in singulis propria sint, nouata, translata, & trãslationis nomine tropos omnes cõprehendis: in coniunctis autẽ collocatio sit orationis & figura: sic enim tertio oratorio posteaquam de tropis dixisti, de collocatione dicis, & de figuris. Tum verò partitionis factæ immemor, tropos etiam omnes præter metaphoram in coniunctis verbis esse statuis. Vbi est acumen tuum M. Tulli? vbi vis ingeny? tropi omnes in singulis verbis partitione prima locantur, tamen idem omnes præter metaphoram

ponis in coniunctis. Tantam repugnantiã non vides? Aristotelis etiam hæc, opinor, doctrina fuit, & idcirco protinus approbanda. Quanquam ne idipsum quidem omnino verum est, quòd reliqua genera præter metaphoram in coniunctis verbis esse ais. Nam Metonymia, Synecdoche, Ironia, in verbis singulis versantur. Atque hæc de tropis. Figura tibi definienda fuerat. Elocutio in coniunctis verbis, qua mutatur habitus orationis: distribuenda in duas species, quarum altera sententiæ diceretur, quia totius orationis sententia comprehẽderetur: altera verbi, quia in verbis aliquot, nõ in tota sentẽtia cerneretur. In figuris sentẽtiarum poterãt, si nõ vera, saltem proxima veris genera notari: vnum cùm aliquid quæreretur, vt Optatio, Deprecatio, Cõmunicatio, Addubitatio: aut respõderetur, vt Permißio, Conceßio: aut vtrunque simul ageretur, vt Prolepsis. Secundum cùm fingeretur aut persona vt Prosopopœia, aut res, vt ἀποφασις. Tertium cùm sermo interrũperetur, vt Auersio, Digreßio, Reticentia, Correctio. Postremum cùm res amplificaretur, vt Exclamatio, Sustentatio, Licentia. Poterat isto modo species artis quædã in figuris verborũ teneri, vt primum genus esset in repetitione, vt est ἐπιζευξις, ἀναφορὰ, ἐπιστροφὴ, συμπλοκὴ, ἐπανοδος, ἐπανάληψις, ἀναδίπλωσις. Secundum genus in commutatione ordinis, vt ὑστέρημα: casus, vt πολύπτωτον: significationis, παρονομασια. postremum in numero, de cuius arte tecum postea: atque hæc omnia ita definita & distributa, oportuit exemplis nobilibus illu-

strari. Similis autem tua diligentia est superiori, nihil definis, nihil partiris, nihil exemplis exponis: quin figuras omnes tam deformiter afflixisti, vt fastidiosam & insolentem despicientiam duntaxat hîc agnoscam: sic non cõfuse tantùm, sed profuse cumulas quicquid hæc scribenti temerè ac fortuitò occurrit. In figuris verborũ contrariũ ponis, quod argumẽti nomen est, vt generis, vt speciei: Reticentiam & Exclamationẽ numeras, quas tamen constat figuras esse sententiarũ, cùm in totius orationis sentẽtia cõprehendantur, nõ in sentẽtiæ verbis aliquot: quin reticentiã teipsum scilicet accusans & condẽnans, in figuris sentẽtiarũ constituis. Mirandũ autẽ non minus est, quòd asyndeton numeres, polisyndeton relinquas: vtrũque enim vel reiici, vel retineri debuit: & grãmaticum nescio quid hîc potius est, q̃ rhetoricũ: quod similiter cadentia, desinentiáque proponas, pariũ obliuiscare: quæ tamẽ oratorio tertio adhibentur. Quid verò? quanta ista est leuitas, quòd oratorio tertio tres & quadraginta verborum figuras numeras, hîc ne dimidiam quidẽ partem complectare? Ecquid nunc attendis, quamobrem aliena permisceas, propria prætermittas? In figuris verò sententiarum, quid commune cum figuris habent commoratio, extenuatio, irrisio? quæ figuræ non sunt? omnia enim hæc sine vlla figura esse possunt: & sicut omnis oratio & disputatio ex omnibus argumentis & figuris fieri possunt. Quid propositio? definitio? argumentum oratione cõclusum? diuisio in partes? similitudo? exemplum? tributio? quæ dialecticorum tota sunt? An

tibi commodum est dialecticam inuentionem, sicut antea tot locis fecisti, non solùm rhetoricæ falso attribuere, sed in elocutionis præceptis isto modo confundere? Redeamus ad distinctiones artium: rhetorica elocutio hîc tractatur: rerum igitur inuẽtio non admiſceatur. Si ficum plantares, nouem pedes inter me & arborem tuam interessent: plantas elocutionem, quam oratoris propriã esse iudicas: quámque constat à dialectica & inuentione & dispositione toto possessionis genere distinctã esse: fines igitur regãtur: pes saltem vnus interponatur. Elocutio est orationis cõformatio, vt in singulis verbis tropus, in coniunctis figura: argumenta igitur ne miſceantur: nec captiosa illusio, nec Aristotelica quæratur, quòd aliter vtantur his dialectici, aliter oratores: nec distinguamus artes hominibus, vt antea Aristoteles & Zeno. Demosthenes enim & Cicero mihi sunt & dialectici & oratores: quòd enim res peruiderint causis, quas agebant, congruas & consentaneas, quòd sapienter & iudicarint singulas, & vniuersas apto ordine collocarint, dialectici sunt: quòd tropis & figuris exornarint, quòd decorè pronuntiarint, oratores sunt. Artes præceptis constantibus, & perpetuis, & vniusmodi sunt: vsu autem multiplici & vario, vt iam sæpè aduersus ista græculorum sophismata repeto. Quid verò iteratio? collatio culpæ in aduersarium, in hilaritatem risúmque conuersio? interpellatoris coercitio? denuntiatio cautionis? ira? obiurgatio? medela? exercitatio? insinuatio? breuitas? hilaritas rursus? atque in hac prodiga commentatione,

cur toties & tam obliuioſe eadem iterantur? ſæpe vt irrideat, ſæpe in hilaritatem riſúmue cõuertat, ſæpe hilaritas, tum vt declinet à propoſito, deflectátque ſententiam, & à propoſito declinet aliquantulum, tum vt antè præmuniat, vt antè occupet, tum vt diuidat in partes, vt aliud alij tribuẽs diſpertiat. Quid, quòd oratorio tertio figuras ſententiarũ ſeptem & quadraginta numeras, hîc neſcio quot ex hoc numero detrahis? quid hæc inquam tot peccata, quid aliud niſi præcipitem obliuionem demonſtrant? aut faſtus ſpecie ac ſimulatione, neſcio quid peius tegunt ac velant? Atque hæc tamen, vt de Craſſo tute ipſe ſoles dicere, non tam exiſtimari vis neſcire, aut non poſſe docere, quàm deſpicere atque contemnere. Antea cùm Latinos oratores & Græcos, cùm ſophiſtas etiam tam longè ab oratoris perfecti laude diſtraheres, cùm nihil inuentionis & diſpoſitionis prudentiam, nihil actionis dignitatem præ elocutionis gloria eſſe diceres: & Critolai penè libram quandam induceres, in cuius altera lance poſitas omnes reliquarum rerum laudes, quin cum his maria & montes elocutio ſola deprimeret: quantùm, prò Iuppiter, elocutionis pondus nobis promittere videbare? At cùm huc perueniſti, rem omnium leuiſſimã feciſti, vt ex ea te non ſatis conſtantem hominem iudicaremus. Veruntamen numerus ſupereſt, quem collocationem appellare maluiſti. Numerus definiendus erat, modulata orationis compoſitio, eiúſque omnis conſideratio diligenter exponenda, & in partibus vel artis ex quantitate ſyllabarum in pedibus: vel naturæ in

1. Verborũ collocatione et
2. Numero

ſpectanda bonitate & literarum & dictionum, & quàm varium ſit aurium his de rebus iudicium: & in generibus qui ſit poematis, qui ſit orationis ſolutæ numerus, tum omnes & partes & ſpecies ita definitæ declarandæ exemplis fuerunt. Hîc te ſpero noua diligentia præteritam negligentiam compenſaturum: quod te tandem feciſſe gloriaris. Et quoniam (ais) plura de numeroſa oratione diximus, quàm quiſquã ante nos. Quare bene ſperare de te in poſterum poßimus, qui omnes artis huius magiſtros ſtudueris vincere. At eundem te doctorem præſtabis, quem adhuc præſtitiſti: nihil perſpicuè, nihil acutè, nihil propriè declarabis: tibi atque ingenio tuo obtemperabis: miſcebis aliena, falſa, inania, nec vllam veræ doctrinæ lucem adhibebis: nihil enim definis, nihil partiris, nihil ferè exẽplis exponis: imò verò ne nos de diſciplina potius aliqua quæſtionẽ tractari, quàm pompam & ſpeciem ſophiſticæ oſtentationis quæri putaremus, ſeptimo loco nos à re propoſita deducis: reſpondes prolixè & verboſe numeri reprehenſoribus: quos re vera nullos eſſe arbitror: ſed communis aliquis locus, & latior campus inueniendus fuit, vbi ſophiſtica hæc eloquentia liberius incederet. Sed tamen cùm iam tertia pagina tota procederet, ad inſtitutam diſputationem reuerteris: collocationem partiris. Collocabuntur igitur, ais, verba, aut vt inter ſe quàm aptiſſime cohæreant extrema cum primis, eáque ſint quàm ſuauiſſimis vocibus: aut vt forma ipſa concinnitáſque verborũ conficiat orbem ſuum, aut vt comprehenſio numeroſe & aptè cadat.

Hæc tripertita diuiſio tibi placuit. At quicquid eſt collocationis proprium, id numerũ, aut partem numeri eſſe dico.

Numerus enim eſt modulata orationis cõpoſitio.

Conſtructio eſt modulata orationis compoſitio, aut certè pars quædam compoſitionis: item concinnitas.

Conſtructio igitur & concinnitas numerus eſt, aut certè pars numeri.

Hæc tuipſe tuo teſtimonio iudicióque confirmas: numeroſa, ais, poſtea efficitur oratio non ſolùm numero, ſed etiam conſtructione & concinnitate. Eſt igitur, inquam, & conſtructio, & concinnitas numerus, aut numeri quiddam: quoniam orationem vtraque numeroſam facit. Facit orationem numeroſam: eſt igitur efficiens cauſſa numeri. Quare cùm omnium rerum cognitio ſcientiáque ex cauſsis promenda ſit, in explicãdo numero cauſſæ illæ efficientes erunt adhibendæ: nõ autem velut ſpecies diuerſæ ſeparãdæ erunt: quia duæ primæ conſtructio & concinnitas in tertia contineantur. Memini ſecundo de finibus in errore ſimili, quo pacto Epicurum reprehendas. Diuiſit, ais, ineleganter: duo enim genera, quæ erant, fecit tria, hoc eſt non diuidere, ſed frangere rem: tum verò non ſolùm ex duobus generibus conſtructione & coniunctione pedum (quæ erant duo) tria facis, addita concinnitate: ſed etiam numerum (qui erat genus) in ſpecie numeraſti: ita præclara iſta diuidendi elegantia Epicurum vicisti. In conſtructione vitari iubes hiatum & aſperi-

tatem literarum: id laudo. Est autem prorsus admirabile, dum de prima hac iunctura & coagmentatione præcipis, vnde, & quorsum tam multas grammaticorum quæstiunculas vnum in locum conduxeris, de contractione, de coniunctione, de cõmutatione literarum, nominum, accentuũ, spirituum. Neque enim tam molesta, támque prolixa descriptio vllam componendæ orationis viam (pauculis illis exceptis, quæ sunt in principio de hiatu & asperitate) docet, quod erat hoc tempore propositum: sed comparatione quadã demonstrat, quẽadmodum tandem tu ipse concludis: si indocta consuetudo (vnde tam multa exempla collegisti) tam sit artifex suauitatis, id ipsum multò magis ab arte & doctrina expetendum esse. Itaque in quantam perturbationem incidisses, coactus es paulò pòst cõfiteri: propositæ enim partitionis immemor, antequam primum membrũ absolueris de constructione & suauitate vocum, nouam distributionem instituis, qua superiorem confundis. Duæ sunt res, ais, quæ permulcent aures, sonus & numerus: quid, inquam, nónne tres in partitione superiore esse dixisti? constructionẽ, concinnitatem, numerum? Constructionem enim sæpe significas ad demulcendas aures totam pertinere. Impetratum est, ais, à consuetudine, vt suauitatis causſa peccare liceret. Itẽ, voluptati aurium morigerari debet oratio. De concinnitatis orbe quid ais? suapte natura (inquis) numerosus est, etiam si nihil est factum de industria. Considera, M. Cicero, qua constantia partitiones istæ describantur: prima tres facit partes diuersas, constructionẽ,

concinnitatem, numerum. Secunda duas primas partes confundit in vna, id est, in sono, & quidem ita vt numerus ipse sonus sit, & in vna parte tot partes tam negligenter distinctæ comprehendantur. Constructio enim cùm vitat hiatum & asperitatem, concinnitas, cùm orbem conficit, numerus cùm tempora temporibus annectit, nónne sonum quærit & sectatur? De concinnitate deinde præcipis, quæ, vt affirmas, ex similiter cadentibus & desinentibus, ex paribus, ex contrariis orbem quendam numerosum necessitate ipsa efficit, & eum sine industria: quanquam contraria nullum locum hîc habent: & argumenti genus isto nomine significatur: vt generis, vt similitudinis: & numerus omnis qui hîc efficitur ex tribus primis tantum est. Sed tamen si numerosum dicas, quòd ex numero quouis constet, certè orbis ille ex similiter desinentibus, cadentibúsque, ex paribus, non numerosus esse non poterit: Sin legitimum & oratorium numerum intelligis, cogitare debebis in orbem illum & versus, & insuauem compositionem & rudem posse comprehendi. Finxerit enim aliquis poeta tale carmen,

Rumpitur inuidia quidam charissime Iuli,
Quòd me Roma legit, rumpitur inuidia:
Rumpitur inuidia, quòd turba semper in omni
Monstramur digito, rumpitur inuidia:
Rumpitur inuidia, tribuit quòd Cæsar vterque
Ius mihi natorum, rumpitur inuidia:
Rumpitur inuidia, quòd rus mihi dulce sub vrbe est,
Paruáque in vrbe domus, rumpitur inuidia.

Rumpitur inuidia, quòd ſum iucundus amicis:
Quòd conuiua frequens, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quòd amamur, quodq́ probamur:
Rumpatur quiſquis rumpitur inuidia.

Hîc enim ſunt ſimiliter cadentia deſinentiaq́, & paria paribus collata: & in illũ orbem poteſt aſperitas omnis & hiatus incidere. Quare deſine in præceptis ponere, quod tam fallere poſſit ignorantem, quàm adiuuare: & noli nobis perſuadere, tuũ potius hoc eſſe iudicium, quàm rhetorum (quorum artes huc tranſtuliſti) commentum. Sed tamen duæ ſunt res, ais, quæ
Sony *permulcent aures, ſonus & numerus. At ſoni rationẽ tam negligenter attigiſti, vt potius rhetoris cuiuſdã partitione (in quam fortè incideris) quàm vtilitate & neceſsitate motus eſſe videare: hîc ſonorum genera in literis, in ſyllabis, in dictionibus totis & vires & proprietates perſequi debuiſti. Sine hac enim ſoni virtute, omnis cõpoſitio orationis exanguis & intermortua iacebit, vt antea ſignificaui, & poſtea clarius e-*
NV ME RVS T 32 b *rit. Sed ad numerum accedis: de quo priuſquam præcipias, longa oratione egrederis ad his reſpondendum, qui numeros in oratione reprehenderent. Tametſi ſatis ſuperq́ de toto collocandæ orationis genere iſtis fictis reprehenſoribus paulò antè erat reſpõſum: egreſsiones tibi nimiũ placent, téque ſophiſticæ oſtẽtationis gloriolã nimio ſtudio conſectari demonſtrant: Aſiaticum iſtud nimis obtines. Si toties oleas in curriculo tranſilires, quoties lineas in hac diſputatione poſitas tranſiliſti, omnis, me hercule, ſibilus ad te explodẽdum conſume-*

retur: octauus enim hic est egressionũ tuarum locus. Mirificam verò quandã doctrinæ expectationẽ initio concitas: sic enim ais, Visne igitur, Brute, totũ hunc locum accuratius etiã explicemus, quàm illi ipsi, qui & hæc & alia nobis tradiderunt? Multos equidem Græcos memini hisce de rebus varia docuisse: quos vtinam nõ vana potius subtilitate, qua mortales omnes vincunt, quàm solida veraq; laude possis vincere. At enim non solùm tibi vsitatum, sed propè perpetuum est, in hac oratoris explicatione leues & ineptas nugas vndique colligere: in explicando numero dialectica ratio postulabat (vt iam dixi) vt numerus definiretur, deinde genera describerentur, propositis exemplis vsus ostenderetur generum singulorum. Contempta autem via illa docẽdi longè verissima, placuit Ciceroni videlicet, vel potius Ciceronis doctoribus ac magistris noua quadam docendi ratione numeri originem, caussam, naturam, vsum persequi. In origine Gorgiam, Isocratem, & reliquos inuentores numeri, in caussa modum inueniendi per animaduersionem fortuitorum, & naturalium exemplorum, in natura quæstiones, an est numerus, & qualis est, sicut aliæ permultæ, omissa tamẽ principe quæstione quid est disputantur, in vsu quæruntur multa vbi numerus sit, quomodo differat à numeroso, tum de incisis, membris, periodis, déque tota generis huius vtilitate. Quid si, M. Tulli, de tota dicendi arte, & de omnibus eius partibus quatuor ista quærantur sicuti possunt? ridiculum, opinor, fuerit, in explicanda arte inuentorem quasi partem artis numera-

re, cùm id si necesse sit, post rem definitam posit vno verbo notari. Ridiculum, inquam, fuerit quærere tropi & originem, & causſam, & naturam, & vſum: figuræ & originem, & causſam, & naturam, & vſum: vocis & originem, & causſam, & naturam, & vſum: geſtus & originem, & causſam, & naturam, & vſum: ridiculum in grammatica, in dialectica, in omni denique diſciplina: quia artes ſunt conſtantium & æternarum rerum, quæ temporibus mutari non ſoleant: ridiculum verò multò magis etiam illud, quòd duo membra facis, originẽ & causſam, quaſi verò non ſit origo, etiam cauſſa: & inuentores & authores numeri nõ ſint eius efficiẽtes cauſſæ: & non verius vno cauſſæ nomine dicatur & qui inuenit, & inueniendi ipſa facultas & occaſio, præſertim cùm in origine finẽ numeri, qui inter cauſſas principem locum tenet, conſtituas. Cùm enim de origine, & Iſocrate numeri inuentore loqueris: ſic ais, Cùm videret oratores cum ſeueritate audiri, poetas autem cũ voluptate, tum dicitur numeros ſequutus, quibus etiã in oratione vteremur, cùm iucunditatis cauſſa, tum vt varietas occurreret ſatietati. Quare in origine numeri declarãda cauſſam duplicem comprehẽdis, finem & efficientẽ. Quid autẽ duo prima membra cauſſas eſſe dico? nónne tertiũ, vbi natura tot quæſtionibus inuoluitur, verã propriámque numeri cauſſã exquirit? Quid enim aliud tot quæſtionũ altercatio ſibi propoſuit, niſi vt ex cauſſis ſuis numerũ nobis explicaret? natura enim rei cuiuſque cauſſis cõtinetur, vt natura ho

minis, id est substantia, continetur anima & corpore: quæ forma & materia, id est principes & summæ causæ sunt, quibus hominis natura continetur: causas autẽ summas & proprias qui explicat, qui naturã ex his penitus demõstrat, is verè definit, verè demõstrat. Veruntamen per Deũ immortalem, quàm nugatoriã? quàm tota sine vllo sale, sine vllo iudicio pars ista tertia de natura numeri nobis obiecta est? Bona quæ sunt in te sicuti sæpe iam profiteor, tua, tua, inquam, sunt M. Tulli: paucula verò ista quæ pauci quidã non probamus, à magistris tota sunt. Incidisti in Græculi cuiusdam & loquacis magistri argutias, Aristotelis, opinor: neque enim tam multos hominis eius libros, quàm multos habere te audio, vnquam legi, aut legere omnino curaui: & tamen cæteris in libris intelligo contentioso prorsus & tenebricoso ingenio Aristotelẽ fuisse, vt mihi videatur talis doctrinæ author vel Aristoteles, vel Aristotelis simillimus quidam magister fuisse. Sed tamẽ incidisti in magistri (quisquis is fuerit) argutias planè sanè pueriles, vel deliras potius & aniles: quas tamen cùm auidè magis, quàm cõsideratè & attentè legisses, suo te, opinor, acumine perpulerũt: intima artis mysteria quædam esse credidisti: tam sanctè, támque religiose ad eas accedis. Sunt porrò de numeri natura hæ quæstiones quindecim, qui, vbi, vnde, quotuplex, quomodo, quorsum, quando, quo loco, quomodo faciat voluptatẽ, an sit, qualis sit, quis aut qui, communis an dispar, cur nõ æquè in oratione apparet atque in versu, vnde numerosum efficitur. O musæ, ô chari-

tes,ô præsides ingeniorũ literarúmque deæ! quid istæ quæstiones, quam nobis numeri naturam definiunt? quale Ciceronis iudicium nobis ostendunt? Nouem primæ, quas breuioris & planioris ʋiæ esse dicis, in extremum locum reijciuntur: postremæ sex, quas longioris ʋiæ dicis esse, primo loco perobscura, pérque difficili oratione conturbãtur. Nam cùm quæstiones essent quindecim propositæ, decima primo loco explicatur, & reliquæ deinceps ad extremum, tum reuoluitur explicatio ad nouem, quæ primo loco positæ fuerant. At longioris ʋiæ prima quæstio est, dicas fortasse, quam tu decimam facis: quid tu inquam, an longiorem ʋiam dicis breuiore esse planiorem, ʋt præcedere debeat? at contrà dicis breuiorem esse planiorem, atque omnino proponis ante quæstiones breuioris ʋiæ. At perturbatio & confusio tantum est, alta quædam & peracuta natura in hac confusione forsan occultatur: imò ʋerò mera somnia, nulla naturæ explicatio, nulla definitio traditur. Quod ne tibi temerè confirmare ʋidear, singulas quæstiones excutiamus ac perpendamus, an ʋlla omnino ad numeri naturam definiendam pertineat. Decima quæstio prima, ʋt dixi, disputatur, quòd numerus sit in oratione, ídque sensus testimonio probatur. At quorsum hæc, & quæstio, & quæstionis ratio? quid noui ad numeri definiendam naturam? duo prima partitionis membra, origo & causa, inuentos esse numeros docuerunt, & obseruatione naturæ inuentos docuerunt. Quamobrem igitur quæritur an sit, quod inuentum esse iam constiterit? Et quidem ne mea te po

tius reprehensio accuset, quàm tua ipsius oratio conuincat: recognosce in hac quæstione, quæ antea de caussa numeri dixisti. Neque (ais) ipse versus ratione est cognitus, sed natura atque sensu, quæ dimensa ratio docuit quid acciderit. Ita notatio naturæ & animaduersio peperit artem. Quid? nónne eadem similitudine & ratione secundum membrum partitionis de numeri caussa tractasti? vt igitur, dicebas, poetica & versus inuentus est terminatione aurium, obseruatione prudentium: sic in oratione animaduersum est, multò quidem illud serius, sed eadem natura admonente esse quosdam certos cursus, conclusionésque verborum: quare quoniam eandem rem nobis explicat ista quæstio, quam secunda pars diuisionis ostenderat, cur in tertia parte collocatur? At pergis in huius quæstionis explicatione, & longius progrederis: dicis in versu numerum apertiorem esse, quàm in oratione, quod tamen decimæquartæ quæstionis propriũ est. Addis autem, Omnino duo sunt, quæ condiant orationem, verborum numerorumq; iucunditas: quo tandem eiusdem rei partitio? Antea enim tota compositionis ratio trifariam distributa fuerat, in coagmentationem, concinnitatem, numerum: deinde in sonum & numerum: nũc verò nullis nouis generibus propositis illa ipsa prorsus eadem materies in verborũ numerorúmque iucunditatem distribuitur. An hoc est dialecticorum acumine, vel partes, vel species diuidendo discernere? an imperitorũ coquorum more frangere ac discerpere? Reliqua porrò huius quæstionis tractatio, qua demon-

ſtras, numerũ tardius inuentũ, clarius quàm ſuperiora & manifeſtius probat, quicquid hîc eſt inculcatum. id totum ad primas illas partes de origine & cauſa pertinere. Quare decima hæc quæſtio tam longa nihil noui nos docet ad numeri naturam explicandã accommodatum: ſed ex antecedentibus partibus quiddã ſubſtractum: quæ tamen, vt dixi, in oratoris arte legitimè deſcripta, nullum neceſſariũ locum obtinerent. Vndecima quæſtio decimæ ſuccedit, quales ſint numeri oratorij: Hîc primùm quæro, cur ea quæſtio (quæ ſola erat huius loci propria) quid eſſet numerus, prætermittitur? Soletis enim in quæſtionum generibus (de quibus antea à nobis dictum eſt) tria numerare, an eſt, quid eſt, quale eſt: qua porrò de cauſa à primo genere non potius per ſecundum ad tertium aſcenſum paramus, quàm fractis ſcalarum gradibus ruinam iſtam creamus? Quid de qualitate dici poteſt, ſi quid res ſit ignoretur? Itaque iam mecum conſidera, quàm abſurdè, quámque nihil ad rem accommodatè reſpondeas. Nullus eſt (ais) oratorius numerus extra poeticos. Nobis igitur percontantibus quales oratorij numeri ſint, reſpondes eſſe poeticos: quaſi tota numerorum doctrina, & explicatio non propria ſit rhetoricæ, & poema ac verſus ſi rhetorica legitimè tradita ſit, non eodem loco cum his numeris explicari debeat, vt vtriuſque qualitas vel ex æquo nota ſit, vel ignota. Quanquam falſa videri poſſit, non obſcura duntaxat illa reſponſio: in numero enim poetico certa quædam & definita lex eſt, quam ſequi ſit neceſſe: in oratorio autem numero

nihil est eiusmodi propositũ, sed tãtũ ne immoderata, aut dissoluta, aut effluens sit oratio. At numeros, inquies, poetarũ & oratorum non eosdẽ intelligi volo, sed nullum esse pedẽ in poemate, quo non sit oratoribus vti concessum. Hoc enim tua probatio demonstrat, in qua concludis (cùm eos trifariam diuisisses) omnes pedes in orationem cadere. Video (inquam) numeri rationẽ ad pedes valde insolẽter abiectam: quãobrem, nõ video: quanuis enim spectaret eosdem pedes orator & poeta, nõ idcirco numeri oratorij qualitatem è pedibus poeticis agnoscerem: alia siquidem pedum singulorum, alia coniunctorum, qui numerum faciunt, qualitas est & ratio. Quare ex pedibus poeticis oratorij numeri qualitatem nullã nobis explicas. Atque per ego te deos omnes oro, animaduerte quo qualitatem istam deducas. Nullus est, ais, numerus oratorius extra poeticos, quia omnis pes qui adhibetur ad numerum, partẽ habet aut æqualem alteri parti, aut altera tota, aut sexquimaiorem. Etenim vnde tam obscura, támque dißipata partitio? Arithmetici numerorum differentias (vnde hæ sunt abreptæ) lõge alia subtilitate partiuntur: pares aiũt esse, aut impares: impares, maiores aut minores: tum maiorũ cum minoribus collatorũ quinque ab ijs constituuntur differentiæ πολλαπλάσιος, ἐπιμόριος, ἐπιμερὴς, πολλαπλασιεπιμόριος, πολλαπλασιεπιμερὴς. E quibus tua ista partitio tantùm duas amplectitur πολλαπλάσιον καὶ ἐπιμόριον. An è reliquis rationibus nihil in pedes poeticos cadit? quid igitur amphibrachis ex breui, longa,

breui constans, qualem partium collationem habebit? Frange eum quomodo volueris, syllabas eius tres inter se quomodo velis compara, secundam cum prima aut tertia, nunquã parem, nunquam duplicem, aut sesquiplicem rationem harum syllabarum trium reperies. Tria enim in duabus syllabis tẽpora, vni vnius syllabæ tempori comparata, triplicẽ rationem faciunt. Atque hic pes è trisyllabis octo, vnus est notissimus. Neque verò dicatur dactylum esse temporibus amphibrachi parem: nil enim te adiuuet hæc excusatio: sit enim totus pes par toti pedi, at pares partes vtriusque nunquam reperientur, vt vtrobique partium sit eadem inter se ratio: nisi enim collocatio ista, ratióque de syllabis fiat, certũ nil erit. Fac enim ex temporibus seorsum, non de syllabis accipi, cùm in dactylo quatuor tempora sint, ego tria potero comparare vni, & triplam rationem efficere: dicam pæanem esse quadruplum, quia ex quinque temporibus (quæ sunt in pæane) quatuor licebit vni comparare: at hunc pedẽ sesquiplicem facis, quia tres breues vni lõgæ comparatæ hanc rationẽ faciunt. Sed quid hæc pluribus disputo? cùm tu antea in diuidendis pedibus non compares singillatim tempora temporibus, sed pedis partem ex syllabis cum altera parte ex syllabis composita. Quid dochimum, quem tu ipse adhibes & probas, è breui, duabus longis, breui, longa, rationis item dissimilis vis proferam? Quinque enim tempora in tribus syllabis, tribus in duabus syllabis temporibus comparata, sicut syllabarũ ratio exigit, rationem habent ἐπιμέρη. Quare vides hanc par-

titionem valde rudem & imperitam esse, in qua res partita plura complectatur, quàm subiectæ partes explicent: nec tamen id est maximum in hac confusione vitium, sed aliud lõgè magis est reprehendendũ, quod imperiti quidam professionis huius doctores ac magistri, qui te in errorem induxerunt, cùm è recõditioribus disciplinis aliquid tenuerunt, id in his primis informandæ iuuentutis studiis (vt se magnos & admirabiles apud ignorantem & simplicem discipulum reddant) infarciant: quo nihil potest esse ineptius aut stultius. At Aristoteles grauissimus author & probatissimus ita sentit: eámque pedum partitionem tradit. Tradat, quid tum? an nobis probatius futurũ existimas, quòd falsa hominis opinio temere conceperit, quàm quod res ipsa veritásque manifestè docuerit? Quanquam ne philosophi illius authoritate (sicuti facis) abutare, postea videro. Ad duodecimam quæstionem venio: quibus potissimum numeris sit vtendum, quam tertio loco prosequeris: sed ea protinus omissa ad proximam reuerteris, & rursus oratione longa disputas in solutis etiam verbis inesse numeros, eosdémque esse oratorios qui sunt poetici: tum reuocas intermissam quæstionem. Ita in hac confusione non minor tibi tecum, quàm cum rebus ipsis videtur esse contentio. At duodecima ista quæstio de numerorum generibus, quæ maximè cadãt in orationem quomodo explicatur? nihil enim est naturæ, tota est vsus. Nam hîc quæritur componendorum numerorum ratio, quod ad quartum principis partitionis membrum pertinere postea

dicis. Sed quanuis aliena quæstio est, & temerè confusa, videamus tamen cuiusmodi ea sit. Quidam è Græcis rhetoribus iambũ duntaxat amplectuntur. Ephorus sequitur pæana, & dactylũ, spondeum, & trochæum fugit. Aristoteles grandiorẽ dactylum putat, quàm soluta oratio desideret: iambũ nimis è vulgari esse sermone, trochæum lasciuiorem, ita pæana probat. A quibus omnibus cũ meritò dissentias (omnes enim pedes in oratione permisti sunt ac cõfusi) mihi tamen mirum visum est, quòd in paribus causis tam disparia iudicia facias: amatores iambi iustè reprehendis, reliqui enim pedes etiam adhibentur. Ephorum iustè coarguis, qui vituperat trochæum & spondeum, quibus etiam locus in oratione sit. Aristoteles verò Pæan cùm vnicum pæana laudet, reliquos condemnet: qua ratione tibi author optimus visus est? At eadem quæ Aristoteles, etiam Teophrastus & Theodectes scripserunt: errauerint cum magistro discipuli, an idcirco melior Aristotelis caussa tibi videri debuit, quòd non ipse solùm falsus sit, sed discipulos quoque suos fefellerit? Nimiũ illi homini in his artibus concedere ac tribuere mihi videris, quas ipse præsertim contempserat, vt in oratorijs dialogis affirmas. Pæana igitur quoniam Aristoteles probauit, probandum imprimis, & assumendum existimas. Sic enim ais, sit igitur oratio permista & temperata numeris pæane, maximè, quoniam optimus author ita censet: at huic optimo authori paulò pòst refragaris, & quam laudem falso dederas, eandem vera dicendo detrahis: Pæana

Aristoteles vt optimum probat, ais, à quo dissentio, ac mox apertioribus etiam verbis, quare etiam qui dixit aptiorem, in quo esset longa postrema, vidit parũ. Hîc Aristotelem non solùm repudias, sed ignorantiæ condemnas, quem tamen antea mirificè in eadem quæstione, in eadem re laudasti. Ita te memorem & constantem præstas. Aristoteles verè censet pæana optimũ numerum esse: Aristoteles non verè censet pæana optimum numerum esse: quid ista contradictio, qua lege vera fieri potest? O te, Cicero, discipulum magis credulum, quàm iudicem constantem & seuerum: atque in hoc tuo magistro tamen si quid est callidè subtiliterq; traditum, parum attendere atque intelligere videris. Intellexisti multa in Aristotele, quæ tibi placuerunt: etiam quæ non intelligis, admiraris. Aristoteles elegantiam & dignitatem pæanis arithmetica ratione demonstrat, tu triplicem dactyli, iambi, trochæi, pæanis partitionem facere credidisti: disputat pæana idcirco dactylo, & iambo temperatiorem & gratiorem esse, quia pæanis ratio ex dactyli & iambi rationibus componitur: tu differentias pedũ describere putasti: vnde antea partitionẽ illam claudicantẽ, pariũ, duplicium, sesquiplicium probasti: Ac ne me tibi falsa obycere existimes, Græcũ illius sermonẽ iam coràm cõferamus.

λείπεται ὁ παίαν, ᾧ ἐχρῶντο μὲν ὡς ἀπορρίπτῳ ἀπὸ θρασυμάχου ἀρξάμενοι. οὐκ εἶχον ὁ λέγειν τίς ἦν. ἔστι δὲ ξίτος ὁ παίαν, ᾧ ἐχόμενος τῆς εἰρημένων ξία ὁ πρὸς διὰ ἐστίν. ἐκείνων ὁ ὁ μὲν ἓν πρὸς ἓν. ὁ ὁ δύο πρὸς ἓν. ἔχει δὲ τῶν λόγων τούτων ὁ ἡμιό-

h.j.

λιος. ἔτος δ' ἐστὶν ὁ παιάν. οἱ μὲν οὖν ἄλλοι ἀφ' ἑνὸς τὰ εἰρημένα ἀφέτεοι, καὶ διόλου μεξικοί. ὁ δὲ παιὰν λημμένος. ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέξον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν ὥστε μάλιστα λανθάνειν.

Quid ait? an eadem quæ tu? reliquus est itaque pæan, quo velut archano Thrasimachum secuti vtebantur: tametsi imprudentes ac ignorãtes quis pes hic esset. Est autem tertius pæan, & ex modò traditis compositus, in quo quippe tria cum duobus: in illorum altero vnum cum vno, in altero cum duobus vnum comparatur: ex his duabus rationibus sesquialtera gignitur, quæ est in pæane: alij quidem omnes omittendi, tum propter ea quæ dicta sunt, tum quia metris sunt accommodati: assumendus autem pæan, à quo ex enumeratis rhythmis solo nullum carmẽ efficitur, vnde fit vt maximè lateat. Hîc, M. Tulli, differentias pedum non instituit Aristoteles, sed probat pæanis rationem ex dactyli & iambi rationibus confici, vt cõcludat pæana dactylo & iambo præstãtiorẽ. Quàm verò tamẽ fallaci & captiosa conclusione, hinc potest intelligi, quòd iambus, quem fugit Aristoteles, quémque in clausula postremũ ipse vituperas, non ratione quadã & specie, sed re vera ac veritate sit in pæane quarto ex duabus vltimis eius syllabis: sed tamen hæc Aristoteles vt ita concludat: neque verò quisquam ignarus arithmeticæ putet ex dactyli & iambi rationibus non effici rationem pæanis, quòd ex dactylo & iambo pæan non efficitur: non enim si dactylus & iambus superant numero syllabarum pæanem, rationes dactyli & iambi su-

perant pæanis rationem: ratio enim par, (qualis est ratio dactyli) & ratio duplex, (qualis est iambi) additæ sesquiplicem rationem faciunt: tu verò quid ais? Ita pæana probat, eóque ait vti omnes: sed ipsos non sentire cùm vtantur, esse autem medium ac tertium inter illos, sed ita factos eos pedes esse, vt in eis singulis modus insit aut sesquiplex, aut duplex, aut par. Hæc tua sunt Aristoteli authori falsò attributa: quare in posterum cauere debebis, ne tantum opinionibus Græcorum præsertim hominum (quos leuissimos plerunque iudicasti) concedas, vt iudicium adhibere desinas: sed id multò magis, ne incognita pro cognitis, & incerta pro certis affirmes. Hoc academiæ eius non est, quam à pueris amaueris, quámque in omni vita vnicè colueris. Retexe, mi Cicero, retexe testificationem illam: non recuso, ais, quin quantum de libro illo, tantum de iudicij mei fama detrahatur: imò recusa, nega, obsiste, pugna, ne tui iudicij fama ex græcanica ista leuitate pendeat. Attamẽ heus tu, quid agis ista quæstione duodecima? docere vis qui maximè cadant in orationẽ numeri: at nullos explicas: de iambo, pæane, dactylo, spõdeo, trochæo loqueris: qui pedes sunt, vnde numerus efficitur: nullum omnino numerũ proponis, nisi pæana numerũ dicas: quid inquã agis M. Tulli? quomodo propositam quæstionẽ explicas? an non considerabis, quid hic magister (à quo has apinas transtuliſti in oratorem tuum) dicat, & quomodo? Decima quæstio ad originem & caussam numeri pertinet, nihil noui adfert ad naturam: vndecima plena confusionis & erroris

nihil ei, quod interrogat, consentaneum interpretatur: duodecima multò pluribus tenebris est inuoluta: permiscet vndecimã quæstionẽ, ipsa tota est aliena: Aristotelem & laudat inconstãter, & falsò interpretatur, & errantẽ sequitur. Decimatertia quæstio quarto gradu subsequitur, quos numeros cũ quibus tãquam purpurã misceri conueniat: atque etiã quibus orationis generibus sint, cuique accõmodatissimi: quæ quæstio si plenè tractaretur, ad vsum esset referẽda: quia illic cõponendorum ratio quæritur, quod ad vsum, quartã partitionis partem pertinere postea doces: verùm vix attigit, quod pollicebatur: tres enim pedes, iambum, dactylũ, & pæana (credo vt tribus eorũ authoribus paulò antè nominatis aliquid gratificaretur) duntaxat hîc attigit, & in ista quæstione quandiu versatur, non alios miscendos & temperandos inter se proponit. Quid attingit dico? imò ne attingit quidem, quia proponit in hac quæstione de numeris se dicturum, quomodo misceantur inter se: at hic nullum omnino numerum ponit: de pedibus loquitur, qui numerum iuncti faciunt, de numero nullo loquitur, nisi fortè pæana placet numerum dicere. Decimæquartæ quæstioni cur non æquè in oratione atque in versu numerus appareat, deinde respondes: neque tamen ad naturam numeri spectare videtur oratio tua, quæ leuem & è circunstantiis quibusdam collectam differentiam numeri oratorij & poetici tradit, qua nihil numeri naturam cognoscimus, numerus poeticus certã & definitam legem spatiorum continet, oratorius non continet, propterea magis appa

ret in ꝟersu numerus, quàm in oratione: an ꝟerò præclara ista differentia percipi potest, si quid numerus sit ignoretur? at definitus nondum est: nullam igitur naturam numeri hæc quæstio sicuti neque superiores ostendit, & tamen in quæstione decima, quæ disputatur, primo loco ista differentia fuerat. Quid sequitur? solet autem quæri, ais, totóne in ambitu ꝟerborum numeri tenendi sint, an in primis partibus atque in extremis. Enimuero ꝟnde nobis ista quæstio? neque enim de quindecim ꝟlla fuerat, & ꝟsus est, non naturæ, atque illic etiam disputatur: cùm enim ad quartum principis diuisionis locum peruenisti, tum ais, satis multa de natura, sequitur ꝟsus, de quo est etiam accuratius disputandum: in quo quæsitum est, in totóne circuitu, an in principijs solum, an in extremis, an in ꝟtraque parte numerus tenendus sit. Quorsum igitur ista præceptio (quæ ad quartam partem proprie & ꝟerè pertinet) in tertia falso confunditur? Ac ne tibi id satis est conturbare, inducis de exercitatione rationem in definienda re perridiculam: similitudines ac dissimilitudines poetarum & oratorum antea in generibus elocutionis explicatas, huc in alienissimum locum reuocas: qua tamen ex oratione considera quid efficias: ita fit, ais, ꝟt nõ item in oratione ꝟt in ꝟersu numerus extet, idque quod numerosum in oratione, nõ semper numero fiat, sed nonnunquam aut concinnitate, aut constructione ꝟerborum. ꝟnde consecutio hæc efficitur? quæ ratio? quod argumẽtum? quæ probatio anteceßit? quæstiones hæ decimaquarta & decima quinta fuerant:

& earũ alteri paulò antè quodammodo respõsum est: alteram propositam initio & conclusam tandem videmus, probatam & explicatam nullo loco videmus: atque ita sex postremæ quæstiones non ad explicandã, sed ad conturbandam numeri naturam cõcluduntur: nouem quæ primæ fuerant, postremæ sequuntur, egregio sanè confusionis ordine. Ita si numerus (ais) quæritur qui sit, omnis est: ista respõsio superioribus gratior esse debet: vt enim nihil de natura numeri doceat, vt quid sit intelligam: nihil enim explicatur, affirmatur tantũ: ita non valde molesta est, quia perbreuis est. Atque etiã hæc tam succincta solutio in quæstione duodecima (quæ tertio loco tractatur) fuerat. Si locus? in omni parte verborum: quæstio hæc proxima superiore pagina, cùm de toto ambitu quæreretur, exposita est, & ad vsum diximus pertinere: ita res aliena huc inutiliter iteratur. Si vnde ortus sit? ex aurium voluptate: quæstio hæc duobus primis membris origine & causa disputatur: huc autem inutiliter reuoluitur. Quartã quæstionem quotuplex esset numerus, omisisti: & minus idcirco quàm in reliquis partibus offendisti. Vtinam, M. Tulli, reliquas eiusmodi græcanicas nugas omisisses. Si componendorũ ratio? dicetur alio loco, quia pertinet ad vsum, quæ pars quarta & extrema nobis in diuidendo fuit: ergo hanc partem intelligis, non naturæ, sed vsui subiectã esse, & tamen prudens ac sciẽs erras, & alieno loco statuis: gratiã videlicet magnã idcirco tibi debeo, quòd non vllo meo labore, sed tua ipsius confessione culpam istam deprehendo. Si ad quã

rem adhibeatur? ad delectationem: hîc finis numeri in origine positus à teipso, & tamen huc nullo fructu repetitur. Si quando? semper: hæc quæstio ad vsum pertinet, vt bis antea iam dixi, eáque à te ipso tanquam falsa refutatur: quòd dissolutio orationis & hiatus indicet aliquando non ingratam negligentiam de re hominis magis, quàm de verbis laborantis, vt non semper numerus adhibendus sit, sicuti nunc doces. Si quo loco? in tota continuatione verborũ: hæc quæstio secunda fuerat, & inutiliter hîc iteratur, quia etiam prius fuerat in quæstione illa interposita, totóue in ambitu numerus adhiberetur. Si quæ res efficiat voluptatem? eadem quæ in versibus, quorum modum notat ars, sed aures ipsæ tacito eum sensu sine arte definiũt: hæc quæstio valde detorto sensu hîc implicatur. Antea enim quæsitum est quemadmodum adhibitus numerus aliquid voluptatis adferret: nunc autem quæris quæ res efficiat voluptatem, an eadem res & antea & postea tibi quæri videtur? Tum verò cõsidera quomodo quæstioni tuæ respondeas: neque enim doces quomodo numerus adhibitus voluptatem afferat. Quãobrem, M. Tulli, excita, quæso, teipsum, & Aristotelis, si coniectura vera ducor (à quo in hunc librũ hæc transtulisti) vanitatẽ & insulsitatem circunspice: quã numeri naturam tot quæstionibus definierit. Quæstio breuissima & vnica erat huius loci propria, per quam numeri naturam & difinitionem inuenire debuimus eiusmodi, Numerus est orationis modulata compositio: hãc Aristoteles omisit: quæstiones confusissimas quindecim

induxit, per quas de numeri natura nihil inuenimus. Simillimè profectò ac si ingeniosus scilicet & exercitatus venator cuniculũ aliquem in media via latitantem, & fossula tectum capere velit, canes permultos generum omnium ad eam venationem comparet, saltus omnes, lustra per dispositos ministros occupet, canat ipse tuba, & vsquequaque cursitet, atque imprimis magnum studium & ardorem præ se ferat: tandem multis clamoribus, laboriosa cõcursatione, canibus hominibusque fatigatis inanis domum redeat: quid isti venatori facias si dominus eius sis? nónne meritò hominem simili cœna excipias, iubeásque collocari in aureo lecto, abacósque complures ornari argento, auróque cælato, tum eximia forma pueros assistere, qui ad nutũ illius præsto sint, adsint vnguenta & coronæ, incendantur odores, tandem cùm epulari volet, patinæ vacuæ & inanes aperiantur, vt ferina (quã venatus est) fame saturetur. At tuus Aristoteles, venator ille noster est, quærebatur numeri definitio, res illa bestiola multò ad inueniendum facilior: latebat enim in paucorum verborum euolutione, numerus est orationis modulata compositio: ad hunc cuniculum inuestigandũ quindecim quæstiones tanquam canes expediuit, qui etiam credo ad insidiandum, ordinem ipsum variè cõturbauit, de primo loco nouem primas quæstiones in postremũ quasi saltum induxit, postremas sex in primum locum summisit: falsas interim rerum species locis aliquot obduxit, nullúmque de præstantis illius & excellentis venatoris muneribus omisit, vt inanis nul-

la numeri inuenta natura domum rediret. O præclarã & ſingularẽ Ariſtotelis indagationem! O magiſtrũ ſingularem, & admirabili ſapientia præditum, dignúmque ſanè, qui Vel Athenis in Prytaneo tanta inanitate & Vanitate paſcatur! Nullam hîc eloquentiam tuam requiro, nullum tropum, nullam figuram reprehendo: imò Verò ſingularem totius orationis ornatũ admiror & laudo. De tua te bonitate & ſimplicitate admoneo, qui Academicum te profiteri cùm ſoleas, tam leuiter tamen incognitis magiſtrorum decretis aſſentiare. Dixit Ariſtoteles, ergo Verum: dixit Iſocrates, ergo Verum: ſyllogiſmus non eſt, M. Tulli, Iudicium non eſt, ſed temeritas plerunque & error. Quare magnificas aſſeuerationes tuas expende: quicquid habeo iudicij, in oratorem meum contuli: nec recuſo quin quantũ de libro illo, tantũ de iudicij mei fama detrahatur: detrahã Verò de hoc libro quicquid & Vſus & Veritas improbabit: nec tamen de iudicij tui fama propterea detrahã, ſed liberè & Verè dicam Apollinis oraculum diligentius tibi conſiderandum, & interpretandum fuiſſe, Vt potius naturam, id eſt conſtantem & firmam iudicij regulam, quàm multorum hominum opinionẽ (quæ temeraria plerunque & fallax eſſet) ducẽ ſequerere. Vſus orationis aptæ & numeroſæ ſupereſt, in quo Venationẽ quandam ſuperiore longè ſtultiorẽ & ineptiorem ab eodẽ, opinor, magiſtro inducis. Proponis enim Viginti, ſed proponis duntaxat quæſtiones: totúſne ambitus numeroſus eſſe debeat, quid inter numerũ & numeroſum interſit, an partes oratio-

nis æqualiter diuidendæ, quando, cur, partibus pluribus an singulis, imparibus an æqualibus, quando his vtendum, quæ aptissimè collocentur, quo modo, an sine distinctione, vnde sit numerosa oratio, vnde periodus, quanta, quid membra & incisa, quanta, quæ partes, quando, quo modo, quorsum. Ac licet, ais, non ad singulas res respondentem de vniuerso genere sic dicere, vt etiam singulis satis responsum esse videatur: quorum neutrum facis: nihil enim commune omnium & vniuersum tradis, & in quadam confusione singulis separatim respondisti: doces circumscriptionis numerosæ vsum in laudatione & exornatione concessum, in seriis causis non item, modos & clausulas laudabiles septem præscribis: ex dichoreo, cretico, pæane quarto, spondeo, præcedente aut iambo, aut choreo, aut dactylo, ex dochimo. Hoc primæ quæstionis, nonæ, decimæ, vndecimæ, & duodecimæ aliquid est, non totum: nullum enim verbum est de numeris primorum & mediorum locorum: tum ais numerosam orationem non solùm numero, sed etiam collocatione & concinnitate fieri, & differentiam reuocas numeri & numerosi: quod dictum antea fuerat, & hîc inani labore repetitum. Hîc etiã secundæ quæstionis est solutio: Tum de periodi, & partiũ eius longitudine, vsuq; nonnihil aggregas, vbi est aliquid quæstionis tertiæ, & quartæ, & quintæ, & sextæ, & septimæ, & octauæ. Itémque decimæ sextæ, & decimæ septimæ, & decimæ octauæ, & decimæ nonæ: nihil enim via & ordine explicatũ: tum vicesimæ quæstio-

ni, reliqua libri disputatio tribuitur. Ita quæstiones hæ venatoriæ viginti tractãtur, vt nihil rectè definiatur, nihil explicetur ratione, sed temerè vt quicque occurrit, ita confundatur: nec speciatim singulis rebus, nec vniuersis generatim respõdeatur. Verùm Aristotelis tui laus hæc esto: iudicij tui nihil hîc esse tibi persuadeto: de tota confusione in singulis partibus accuratius disseramus. Doces non eundẽ numerorũ vsum in foresi, in historico, in epidictico genere: laudo: neque hoc Aristotelici, sed Ciceroniani ingenij esse duco. Accedis ad numeros, & eorũ (vt dixi) in clausulis genera septem constituis: dichoreum, creticũ, pæanem quartum, spondeũ præcedente vel iambo, vel choreo, vel dactylo, item dochimum: nihil præterea de numerorum generibus hîc præcipis. Quæro igitur cuiusmodi sit in tradenda numerorum (quibus aptè concluditur oratio) doctrina, obseruatio? quæ animaduersio? non enim loqueris de vno pede extremo: adiungis etiam quod minimum sit proximum superiorem, sæpe etiam tertium: in dichoreo duos choreos ex longa breui, longa breui perspicio, & hæc non cõtemnenda videri fortasse possit obseruatio, quæ duos pedes extremos animaduertat. At in cretico non dicis qui pedes laudabiliter, qui vitiose præcedant. Si pes igitur vnus satis non est extremus, quid me doces in cretico? considera contradictionis huius inconstantiã: non est satis obseruare pedem vnum in clausula: satis est obseruare pedem vnum in clausula. In pæane quarto ex tribus breuibus & longa pirrhichium & iambum agnosco, atque hæc excu-

sari, si non omnino probari animaduersio poterit. Sequitur spondeus iambo præcedente: spondeus tribrachi præcedente: hîc coniungendorum pedum studium videō. Est autē spondeus, ais, in extremo laudabilis præcedente dactylo: quo in præcepto, mi Cicero, miseret me profectò tui, quem in his nugis nō iudicio lapsum, sed facilitate & credulitate deceptum perspicio. Rhetor aliquis hanc componendi numeri rationem docuit: arripuisti protinus, & huc contulisti: non attendisti quid, aut quale dictatum hoc esset, incognitum probasti. Etenim quoties iam, quoties numerus oratorius à poetico distinctus & segregatus est, ne poematis similis esset oratio? At clausulā carminis ex dactylo & spondeo clausulam facis orationis: at cuius carminis? carminis heroici omnium carminum, vt maximi & præstātissimi, ita clarissimi & notissimi. Quomodo enim versus illi tui tibi gratissimi clauduntur,

O fortunatam natam me consule Romam,
Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

quomodo cæteri omnes epici, nónne dactylo & spōdeo? Quare collige teipsum, & desine mirari, quamobrem ista leuium & inertium magistrorum (quos sequeris) somnia mihi non probentur, & cur in erroribus tam manifestis, doctoribus illis resistam: neque iudicij tui quicquā hîc esse constituam. Aliquid saltem tam inconsiderato præcepto addidissent, vt dactylus & spondeus orationem non ineptè clauderent, si dactylus & spondeus non singuli suis dictionibus comprehenderentur, cuiusmodi clausula aliquoties vsus etiam hîc es:

Vnde sunt illa, sed habeo mediocritatis rationē: item, hoc assequi nō potuerunt: hæc inquam si sic dixissent, aliquid audiremus: quod si non omnino laudari, certè aliquo modo posset excusari. Despondeo ante spondeum nihil hîc ais, quem numerū tamen postea cùm de Crasso loqueris, ais tibi maximè probari: negas iambū extremum in oratione rectè collocari. Enimuero quid vis Vel simplicitatem, & indiligentiā tuam coarguam? præceptísne tuis an exēplis? Vtraque enim contra te faciunt, & quodammodo contrà clamant. Etenim, Vt de præceptis primùm dicam, quid? nónne & creticū & pæanē & dochimum aptos & numerosos in fine orationis pedes existimas? At eorum singulorum duæ postremæ syllabæ iambum conficiunt: aut igitur pedes illos omnes damnes necesse est, aut iambum vnà cum omnibus approbes: neque verò te tuis præceptis, imò ne tuis quidem, Vt sæpe profiteor, sed græcanicis & nugatorijs solùm refellere, sed exemplis etiam à tanto errore reuocare cupio: quæ (ne te falli existimes) ex hac ipsa disputatione sumam: Vnde enim sunt illi iambi geminati in his clausulis, proceritate tardius, orationis attinent, maxime probo, Siculorum simillimum, audiri libentius: quibus in singulis exempis iambi gemini, in secundo etiam tergemini sunt: & si de tuis orationibus exempla mauis, recognosce Vnde sint hæ clausulæ, Hoc mihi maius à dijs immortalibus dari nihil potest. item, Sunt enim librarij manu. ex secunda tua philippica, Tergemini illi sunt iambi. & in Catilinam, Quibus te breui tēpore confertū esse senties. item

tertio actionis libro, venit in Galliam expectatus dd exercitum consularem cum pecunia. & quarto, Videte Iudices. Item, Libidini suæ. & quinto, Fugiendæ sunt. Item, Esse quæ potest. Sed quid exempla velut certo numero recenseo? cùm hac de re commisso doctis obseruatoribus tam curioso negotio deprehenderim, nõ modò hunc numerum frequenter in omnibus ferè orationibus tuis, sed quemcunque alium, qui sex postremis syllabis variari distinguíque posit, adhiberi? nec porrò contrà Græcanicè arguteris, in his exẽplis esse choreum cum dactylo vel cretico, & idcirco geminos iambos notari non posse: Romanus est Cicero, & Italus, & homo: non est igitur Arpinas? quænam quæso te repugnantia ista fuerit? cuiusnam dissidij fuerit ista complexio? an si quinque syllabis comprehendãtur, choreus & creticus, in ijsdem geminus iambus non erit? Neque verò exempla tua non laudo, sed Aristotelẽ iambi contemptorem potius contemno & irrideo, qui sine caussa suauissimum pedem despiciat. Etenim cùm temporum in clausula tanquam colorum in purpura temperatio moderatióque laudetur, atque idcirco dichoreus omnium numerorum primus & iucundissimus tibi videatur, quia pares cum paribus, longas cum breuibus syllabas permistas habeat, longam breuem, longam breuem: quãto præstantior iambus est iudicandus, cùm vel gratiorẽ temperationem breui præcedẽte, sequẽte longa obtineat? verba enim melius in longiores syllabas cadere tute ipse antea nobis author fuisti. Nec similitudo in iambis potius, quàm in cæteris pedi-

bus geminatis, vel choreis, vel spondeis suauitati credatur officere: tam enim potest caueri, ne sæpius geminus iambus, quàm geminus choreus aut spondeus itere tur: & vt geminis iambis dici potest iambici carminis quiddam strepere, sic geminis trochæis trochaici carminis, & spondeis spondaici. Quamobrem, vt hãc iambicam comprehensionem concludam, aut Aristotelis tui præcepta tam commentitia esse, aut exempla tua non ferenda fateare: non autem exempla tua, quæ voluptatis huius artifex & magister vsus, quæ optima item ratio tueatur: præcepta igitur Aristotelis. Dochimus reliquus est, in quo vt numerũipsum laudo, sic obseruationis genus perridiculum esse censeo: quo si teipsum falsum & deceptum esse cognoueris, facilius te moueri, credo, patiere. Quicũque enim magister siue Gorgias, siue Isocrates, siue tuus ille tot nugarũ & tenebrarum author Aristoteles numeros oratorios partim trisyllabis, partim quadrisyllabis, partim alijs polysyllabis pedibus iußit nos obseruare, in magnam sanè cõfusionem sua nos imperitia deduxit: propterea quòd in sex à fine postremas syllabas (qui ferè modus est huius animaduersionis vniuersæ) varij pedes diuersorum generum includi possint: vt sit extrema pars orationis (reipublicæ) dochimus est, item iambus & creticus, item iambus & dactylus, quia vltima sit indifferẽs, vt tibi placet, item bacchius & iambus, item spondeus & iambus: atque hoc modo in omnes obseruationes per polysyllabos eiusmodi pedes similis confusio potest accidere: quam perturbationem doctrinæ vi-

deris etiã nonnihil, sed velut præteriens aspexisse, cùm ais pæana, quòd plures syllabas habeat, numerũ à quibusdã, non pedem haberi. At bone Deus, q̃ tota ista per pedes vel generis cuiuscũque obseruatio captiosa & tenebricosa, & inanis est! vitaueris enim poematis speciẽ, ne sit carminis, noti præsertim & insignis, clausula, orationis clausula: neque principiũ, principium: licet ex omnibus pedibus numerũ conficere, sed variatum subinde atque temperatũ. Ex sex postremis in clausula syllabis, sex & triginta genera numerorũ varia conficiuntur: eorum omnium exempla in tuis orationibus infinita propemodum (vt paulò antè dictũ est) notata & obseruata legi, vt si ex pedum ratione numerus orationis spectetur, nulla nõ numerosa possit esse oratio. Quãuis omnia illa tua exempla non probo, imprimis carminis similitudinem, deinde longarum & breuium perpetuitatem. Quare id tantùm, vt dixi, tenendum est, vt illis vitiis cuitatis moderatio teneatur. Nunc itaque ex pluribus longis, nunc ex breuibus pluribus: nunc ex ijsdẽ inter se dissimiliter cõpositis numerus efficiatur. Hoc, M. Tulli, breuissimũ monitum totam tam longæ confusionis, támque inuolutæ vtilitatẽ, & quidem multò maiorem & veriorem, quàm tradis, explicat, & propalam constituit. Doces deinde non solis pedibus, sed etiam constructione & concinnitate numerosam orationem fieri: quod antea toties inculcatum, & nunc iteratum sine caussa admonere te molestissimæ & ineptissimæ repetitionis aliquando potuit. Tum reliqua oratione ad vltimam quæstionem de ambitu,

de membris & inciſis multa loqueris: circunſcriptionis longitudinem moderatam quatuor, minimam duobus membris concludis: exemplum nullum moderatæ ponis: interímque exemplis etiam nobis illudis. (Miſſos faciant patronos, ipſi prodeant) duo inciſa facis: quãobrem? nónne vtraque ſententia tametſi altera ad alteram pertinet, perfecta tamen eſt? nónne membrum id verius diceretur, quàm inciſum? vt periodus ſententia ſit abſoluta ex nulla alia pendens, nec ad aliã ſpectãs, mẽbrum ſententia ipſa perfecta quidẽ, ſed alio tamen relata: inciſum denique membri particula ſit imperfecta & incompleta ſentenia: quod inciſorum tamen exemplum cùm pro valde numeroſis à Craſſo ſumpſiſſes, & ſenariũ neſcio quo modo percepiſſes, bella, ita me Deus amet, auerſione culpam illã vitaſti. Niſi interuallo dixiſſet, ais, ipſi prodeant, ſenſiſſet profectò effugiſſe ſenarium: quaſi verò nequeant verſus intercipere & membra, & inciſa, & omnes omnino interſpirationes, ac propterea verſus eſſe deſinant.

Nos aliò mẽtes, aliò diuiſimus aures, ait Catullus noſter: an quia interuallo dixit (aliò diuiſimus aures) idcirco numerus hic verſus & poema eſſe deſinit? O virum ſimplicẽ, qui nos nihil celes! ſapientẽ, qui ſummis viris, ſi quid leuiter offenderint, ignoſcendũ putes! ſed certè ſectatoribus tuis non ſatis proſpicientem, qui cautione eiuſmodi non intelligas occaſionem ſimilis offenſionis ſimplicibus & imperitis exhiberi. Alia rurſus inciſa quatuor orationis cuiuſdam tuæ, & quidẽ pro valde numeroſis ſtatuis: Domus tibi deerat? at habe-

i. ij.

bas: pecunia superabat? at egebas. Primùm cur hæc incisa nominas, quæ sententiam licet aliò relatam, perfectam tamen habeant? deinde considera primum illud incisum (domus tibi deerat) quàm numerosum sit: desinit enim in quinque breues: aut si deerat, dissyllabum sit, turpius in finem carminis heroici desinit. Postrema de numeri vtilitate est quæstio, quam tu sanè præclarè & magnificè descriptis vitiis, exemplorúmque tum rectorum tum vitiosorum commutatione & cõuersione tractas: hîc autem aptam orationem & absolutam numerosam vocas, cui contrariam opponis solutam & diffluẽtem: & hanc virtutem numerosæ orationis & compositionem & perfectionem & numerum vocas: sed tamen in his exemplis te non animaduertisse Val de miratus sum, numerosum istud (quod quæritur) nõ tam syllabarum, quas numeras in pedibus, dimensione, quàm literarum natura atque dignitate fieri. Laudas eam clausulã (Marcellos, Maximósque multi eunuchi è Syria AEgyptóque vicerunt) neque reprehendo: constat enim ex iambo & spondeo. Hanc vituperas, vicerunt eunuchi è Syria, AEgyptóque, quã laudare iustius possum, si numeri tui doctrinam sequar, quàm tu superiorẽ: de sex enim postremis syllabis duæ primæ & vltima breues sunt, tres intermediæ longæ, quæ varietas maior est, quàm antea. Laudas rursus (ab aliquo video perfacile Deliaco aut Syro potuisse superari) neque hoc accuso: numerus enim est ex sex syllabis prima & duabus vltimis lõgis, tribus reliquis breuibus: illud (potuisse superari ab aliquo Syro aut De-

liaco) reprehendis: quæ clausula tamen dichoreus est: quem tu antea pulcherrimum iudicasti: & idcirco iudicio tuo proxima longè melior. Quid ergo? iámne vides, iámne sentis quanto in errore magistrorum, à quibus ista egregia dogmata transcripsisti, animi vagentur? quàm nihil constans, quàm nihil firmum doceant? atque idcirco aut eorum præcepta refellas exemplis tuis, aut exempla tua præceptis eorum coarguas? Quid igitur est? dicam, M. Cicero, quod ab illis doctoribus non accepisti: non est, non est, inquam, orationis suauitas, mihi crede, in ista pedum subductione tota constituta, sed multò magis, vt dixi, in verborum præstantia & dignitate. de qua speciatim tamen nullum verbum fecisti. Oratio fortius verbo claditur, quàm nomine: vnde illa tibi placuerunt (mercatoréſque superarunt, AEgyptóque vicerũt, potuisse superari) hæc displicuerunt (venalitiique, AEgyptóque, Syro aut Deliaco) neque tamẽ vis est ista omniũ verborum, sed verborum non mutilos & decurtatos sonos, sed plenos & moderatos aedentium. Neque tamen verbis idcirco claudenda semper erit oratio: decor enim plerunque repugnabit. Peruenis ad extremũ, & derisis Romanis Atticis velut infantibus, statuis eloquentem, qui non approbationes solùm, sed admirationes, clamores, plausus mouere debeat, omnibus dicẽdi laudibus oportere sic excellere, vt ei turpe sit quicquam aut spectari, aut audiri libentius: vbi (sicut antea sæpe fecisti) quod multarum artium commune est, vni rhetoricæ attribuis. Atque ita in elocutione (in qua

ſola eloquentiæ principatum conſtitueras) quàm te elo quentem præſtiteris, iam potes æſtimare. Quid eſt enim elocutio, M. Tulli? quæ ſunt elocutionis partes? nihil re ſpõdes: quid tropus? quot eius ſpecies? nihil ais, ſed metaphoram breuiter attingis, reliquos tropos falſo affir mas ex collocatione verborum ſumi: quid figura? quæ genera? quæ generum ſpecies? hîc obmuteſcis, & gene ra alia in alijs confundis, vera quædam prætermittis: falſa multò plura ſupponis: quid numerus? quínam ſunt eius modi? nihil definis: collocationem alieno nomine appellas: pro duobus generibus tria facis, nihil in conſtructione de ſono & virtute literarum (quod præcipuum erat) explicas, concinnitatem temerè interponis: in numero, vt ſeptem modos clauſularum conturbares, nullam ſolidam & certam doctrinam trade res, tertiam operis vniuerſi partem conſumſiſti: in eáque quoſdam artis huius magiſtros omni ineptiarum genere redundantes tibi ſequendos putaſti. Peroraſti tandem aliquando, & academiæ decora quadam verecundia totũ opus concluſiſti: tibi tuum iudicium ſumis, mihi meum relinquis: hoc amo & laudo, & philoſopho præſertim Cicerone dignißimum iudico, qui academicis præceptoribus tã multis, tamq; eruditis vſus fueris. Quãobrẽ, vt hîc etiã perorem, M. Tulli, cõſidera tecũ academica iſta iudicãdi ſapientia, monitionis noſtræ & de cauſsis orãdis, & de cauſſarũ orandarũ arte ſummam vniuerſam: virtutes & laudes tuas quæ ampliſsimæ ſunt, ante oculos tibi propone: magiſtrorũ opiniones & mores à iudicio tuo diuide & ſecerne,

Peroratio Ciceronis

Peroratio Rami

reperies sanè velut in formosissimo & compositissimo corpore nævos quosdã non multos esse, nec tã penitus ingeneratos, q̃ extrinsecus adiũctos, sed tamẽ nævos fastidiosis & religiosis oculis ingratos. Incredibile est, q̃ me singularis & in hoc libro, & in omnibus dictis ac scriptis eloquẽtia tua delectet: tanta est in verbis singulis proprietas, puritas, elegantia: tantus in coniunctis ornatus, tam varia figurarũ insignia ac lumina, tanta in voce iucunditas, in actione dignitas: tanta ex plurimis & optimis literis, támque recondita sciẽtia: tanta rerum humanarum prudentia, ingeny bona tanta ac tam multa, vt si forũ & iudices essent in cælo, à dijs immortalibus mirabilius & diuinius caussas agi atque orari posse nõ existimẽ. Displicet tamẽ inter tot tantásque virtutes Asiaticorũ magistrorũ in egressionibus & repetitionibus redũdãtia, liberior etiã quædã iactãtia. Neque verò solũ incredibilẽ ciuilis illius facultatis fructũ tulisti, sed eius artem quoque sapiẽter æstimasti: ac docendi, delectandi, mouendi virtute definisti: necessaria adiumenta ex philosophia, legibus, historijs, rhetoricis atque instrumẽta consideraſti: hoc iudicium veriſsimũ esse iudico. Verùm à tam multis artibus ad rhetoricam delaberis, & vnam pro omnibus assumis. Hîc iudicium tuum nullum video, sed magistrorum tuorum cõmentitium decretum percipio. Oratorẽ (quoniam à principe caussarum ad oratoris, ad oratoriæ artis nomen errore magistrorum tuorũ delapsus es) statuisti ex propryjs bonis inquirendũ esse: hoc iudicium certissimum esse iudico: reuerteris ad magistros: elocu-

tionem retines : rectè, quia propria: actionẽ reiicis, non rectè: quia non impropria est: inuentionem, dispositionem, memoriam reiicis, rectè, quia propriæ non sunt: retines tamen easdem velut communes, non rectè: quia dialecticæ propriæ, non cum rhetorica communes sunt. Atque in hac tota distinctione cùm verũ & rectum iudicaris, & magistrorum tamen opiniones non deserendas putaris, splẽdidas iudicij tui, veluti stellas locis aliquot impressisti: tam multas autem tenebras, tam multos errores, tam multa nugarũ & ineptiarum genera, quàm multa demonstraui, patere, mi Cicero, ne tui iudicij falso potius esse dicam, quàm Aristotelis, & aliorũ (quos authores hîc habes) rhetorum scholas esse verè credam: illúdque meum de te iudiciũ ad extremum ex sapientissimo numinis oraculo concludam. O te, M. Cicero, præstantem omnino & admirabilem virum, si naturam potius ducem, quàm multorum opinionem sequutus esses!

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Folio septimo, linea 29, AEschylum Gnydium, Fo. 9. lin. 11, queri enim Fo. 10. lin. 16, definitione quæramus. Fo. 11. lin. 1, meritò possim in hoc Fo. 38. lin. 12, ponatur initio, Fo. 44. lin. 4, pòst adfirmas partes Fo. 46. lin. 22, tuus. Ad certas Fo. 71, lin. 20, de postremo leuiter Fo. 83. lin. 21, generalium specialium